Sächsische
2 A
103
Landesbibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Hahnemann.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Lit. 205.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Compendium
ARTIS VIVENDI

ex

Erasmi Roterodami

libro

de ciuilitate morum puerilium

et ex

Io. Lud. Viuis Valentini

introductione

ad veram ſapientiam

DB cam

concinnatum

a

Joachimo Henrico Campio.

Hamburgi

apud Carolum Erneſtum Bohn.

CIↃ IↃ CCLXXVIII.

KÖNIGLICHES SCHULLEHRERSEMINAR

1778

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Ungültig

1948.1076

Sächsische
Landesbibliothek
- 3. FEB. 1970
Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

I.

Ex
Erasmi Roterodami
libro de ciuilitate morum.

De Corpore.

1 Munus formandi pueritiam multis constat partibus, quarum prima et praecipua est, vt tenellus animus imbibat pietatis seminaria;

2 Proxima, vt liberales disciplinas et amet, et perdiscat;

3 Tertia est, vt ad vitae officia instruatur;

4 Quarta est, vt a primis statim aeui rudimentis ciuilitati morum assuescat.

5 Hanc postremam nunc mihi proprie sumsi.

6 Quamquam autem extremum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen nonnumquam fieri videmus,

vt hanc interim gratiam in probis et eruditis hominibus desideremus.

7 Conducit illa autem plurimum, et ad conciliandam beneuolentiam, et ad praeclaras illas animi dotes oculis commendandas.

8 Decet autem, vt homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus ac vestitu; sed inprimis pueros decet omnis modestia.

9 Pingant alii in clypeis suis leones, aquilas, tauros et leopardos; plus habent verae nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

10 Vt ergo bene compositus pueri animus vndique reluceat, (relucet autem potissimum in vultu) sint oculi placidi, et verecundi, non torvi, quod est truculentiae: non vagi ac volubiles, quod est insaniae: non limi, quod est suspicionsorum et insidias molientium, nec immodice diducti, quod est stolidorum: nec subinde conniuentibus genis ac palpebris, quod est inconstantium: nec stupentes, quod est attonitorum: nec nimium acres, quod est iracun-

iracundiae ſignum; ſed animum ſedatum ac reuerenter amicum prae ſe ferentes.

11 Nec enim temere dictum eſt a priſcis ſapientibus: animi ſedem eſſe in oculis.

12 Iam ſunt quidam oculorum habitus, quos aliis alios addit natura. Hi non cadunt ſub noſtras praeceptiones, niſi quod incompoſiti geſtus non raro vitiant, non ſolum oculorum, verum etiam totius corporis habitum ac formam.

13 Contra compoſiti, quod natura decorum eſt, reddunt decentius, quod vitioſum eſt, ſi non tollunt, certe tegunt minuuntque.

14 Indecorum eſt, clauſo oculorum altero, quemquam obtueri.

15 Quid enim hoc aliud eſt, quam ſeipſum eluſcare? Eum nos geſtum venatoribus ac fabris relinquamus, quibus conducit.

16 Sint exporrecta ſupercilia, non adducta, quod eſt toruitatis: non ſublata in altum, quod eſt arrogantiae: non in oculos depreſſa, quod eſt mala cogitantium.

17 Frons item hilaris et explanata, mentem ſibi bene conſciam, prae ſe ferens; non in

rugas contracta, quod eſt ſenii: non mobilis, quod eſt erinaceorum: non torua, quod eſt taurorum.

18 Naribus abſit mucoris purulentia, quod eſt ſordidorum.

19 Pileo aut veſte, brachio cubitoue, emungi, parum honeſti moris eſt. Nec multo ciuilius, id manu ſi fiat.

20 Strophiolis excipere narium excrementa, decorum; idque pauliſper auerſo corpore, ſi qui adſint honoratiores.

21 Indecorum eſt, ſubinde cum ſonitu ſpirare naribus; bilis id indicium eſt.

22 Turpe etiam, ducere ronchos, quod eſt furioſorum, ſi modo fiat vſu. Nam ſpiritoſis, qui laborant orthopnoea, danda eſt venia.

23 Ridiculum, naribus vocem emittere.

24 Criſpare naſum, irriſorum eſt et ſannionum.

25 Si aliis praeſentibus incidat ſternutatio, ciuile eſt, corpus auertere. Mox vbi ſe remiſerit impetus, ſublato pileo reſalutetis, qui vel ſalutarunt, vel ſalutare debuerant, (nam

 ſternu-

ſternutatio, quemadmodum oſcitatio, ſenſum aurium prorſus aufert.)

26 Alterum in ſternutamento ſalutare, relioſum: et, ſi plures adſint natu maiores, qui ſalutant virum aut foeminam honorabilem, pueri eſt, aperire caput.

27 Porro, vocis tinnitum ſtudio intendere, aut, data opera, ſternutamentum iterare, nugonum eſt.

28 Reprimere ſonum, quem natura fert, ineptorum eſt, qui plus tribuunt ciuilitati, quam ſaluti.

29 Malas tingat natiuus et ingenuus pudor, non fucus, aut adſcititius color.

30 Inflare buccas, faſtus indicium eſt: easdem demittere, eſt animum deſpondentis: alterum Thraſonis eſt, alterum malefici.

31 Os nec prematur, quod eſt metuentis alterius halitum haurire: nec hiet, quod eſt morionum: ſed leuiter oſculantibus ſe mutuo labris, coniunctum ſit.

32 Minus etiam decorum eſt, ſubinde porrectis labiis, veluti poppysmum facere.

33 Si fors vrgeat oscitatio, nec detur auerti aut cedere, strophio volaue tegatur os.

34 Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum est: nullis arridere, stupidorum.

35 Obscoene dictis aut factis arridere, nequitia est.

36 Cachinnus et immodicus ille, totum corpus quatiens risus, nulli decorus est aetati, nedum pueritiae.

37 Dedecet autem, quod quidam ridentes hinnitum edunt.

38 Indecorus et ille risus est, qui oris rictum late diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, et Sardonius dicitur.

39 Sic autem vultus hilaritatem exprimat, vt nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat.

40 Stultorum illae voces sunt: risu diffluo, risu dissilio, risu emorior, etc. Si quae res alia ridicula inciderit, vt nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa manuue tegenda facies.

41 Solum, aut nullam euidentem ob causam ridere, vel stultitiae tribuitur, vel insaniae.

Si

42 Si quid tamen eiusmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit, aliis aperire risus causam, ne quis se derideri suspicetur.

43 Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est: hic enim est minantis gestus, quemadmodum et inferioribus mordere superius.

44 Quin et labrorum oras lingua circumuoluta subinde lambere, ineptum.

45 Porrectioribus esse labris, et velut ad osculum compositis, etiam non est elegans.

46 Porrecta lingua deridere quemquam, scurrile est.

47 Auersus exspuito, ne quem conspuas aspergasue.

48 Si quid purulentius in terram reiectum erit, pede proteratur, ne cui nauseam moueat.

49 Id si non licet, linteolo sputum excipito.

50 Resorbere saliuam, inurbanum est, quemadmodum et illud, quod quosdam videmus, non ex necessitate, sed ex vsu, ad tertium quodque verbum exspuere.

51 Quidam indecore ſubtuſſiunt identidem inter loquendum, idque non ex neceſſitate, ſed ex more; is geſtus eſt mentientium, et inter dicendum, quid dicant, comminiſcentium.

52 Alii minus etiam decore, ad tertium quodque verbum, eructant; quae res, ſi a teneris annis abierit in conſuetudinem, haeret etiam in grandiorem aetatem.

53 Idem ſentiendum de ſcreatu.

54 Si tuſſis vrgeat, caue, ne cui in os tuſſias, et abſit ineptia clarius tuſſiendi, quam natura poſtulet.

55 Vomiturus ſecede: nam vomere turpe non eſt, ſed ingluuie vomitum accerſiſſe, deforme eſt.

56 Dentium mundities curanda eſt. Aqua vero pura quotidie defricandi ſunt aliquoties; nam puluiſculus gingiuae ſolet eſſe perniciоſus.

57 Si quid inhaeſit dentibus, non cultello, non vnguibus, canum felumue more, non mantili eximendum eſt, ſed lentiſci cuſpide.

Os

58 Os mane et post prandium pura aqua eluere, et vrbanum est, et salubre.

59 Non decet, neque salubre est, impexo esse capite.

60 Adsit mundities, non nitor puellaris.

61 Absint sordes lendium et vermiculorum. Subinde scabere caput apud alios, parum decet, quemadmodum vnguibus reliquum fricare corpus, sordidum est, praesertim si fiat vsu, non necessitate.

62 Coma nec frontem tegat, nec humeris inuolitet.

63 Subinde discusso capite discutere capillitium, lasciuientium est equorum.

64 Inflectere ceruicem, et adducere scapulas, pigritiam arguit; resupinare corpus, fastus indicium est; molliter errectum decet.

65 Ceruix nec in laeuum, nec in dextrum vergat: hypocriticum enim, nisi colloquium, aut aliud simile id postulet.

66 Humeros oportet aequo libramine temperare, non, in morem antennarum, alterum attollere, alterum deprimere.

67 Nam huiusmodi gestus in pueris neglecti,

glecti, vertuntur in naturam, et corporis habitum, praeter naturam, deformant.

64 Itaque, qui prae desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat; et qui deflexum in latus caput habere consueuerunt; in eum habitum indurescunt, vt adulti frustra mutare nitantur.

65 Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quae in quamcunque speciem furca funiculoue deflexeris, ita crescunt et indurescunt.

70 Vtrumque brachium in tergum detorquere, simul et pigritiae speciem habet, et furis: neque multo decentius est, altera manu in ilia iniecta, astare vel sedere.

71 Membra, quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali.

72 Quin vbi necessitas hoc cogit, tamen id quoque decente verecundia faciendum est, etiamsi nemo testis adsit.

73 Numquam enim non adest Deus, cui in pueris gratissimus est pudicitiae comes custosque pudor.

Ea

74 Ea vero membra, quorum conſpectum oculis ſubducere pudicum eſt, multo minus oportet alieno praebere contactui.

75 Lotium remorari, valetudini perniciosum; ſecreto reddere, verecundum.

76 Diductis genibus ſedere, aut diuaricatis tibiis diſtortisue, Thraſonum eſt.

77 Sedenti coëant genua, ſtanti pedes, aut certe modice diducantur.

78 Quidam hoc geſtu ſedent, vt alteram tibiam altero genu ſuſpendant: nonnulli ſtant decuſſatim compoſitis tibiis, quorum alterum eſt anxiorum, alterum ineptorum.

79 Apud Italos olim quidam honoris gratia pedem alterum altero premebant, vnique propemodum inſiſtebant tibiae, ciconiarum ritu; quod an pueros deceat, dubito.

80 Inceſſus nec fractus ſit, nec praeceps, quorum alterum eſt mollium, alterum furioſorum.

81 Sedentem pedibus ludere, ſtultorum eſt, quemadmodum et manibus geſticulari, parum integrae mentis indicium eſt.

De Cvltv.

62 In summa dictum est de corpore: nunc de cultu paucis; eo quod vestis quodammodo corporis corpus est, et ex hac quoque licet habitum animi coniicere.

63 Quamquam hic certus praescribi modus non potest, eo quod non omnium par est vel fortuna, vel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt, aut indecora: postremo, nec omnibus seculis eadem placent displicentue.

64 Vnde, quemadmodum *in aliis multis*, ita hic quoque nonnihil tribuendum est usui et regioni, atque etiam tempori, cui nos seruire iubent sapientes.

65 Multitia numquam non probro data sunt, tum viris, tum foeminis, quandoquidem hic est alter vestis vsus, vt ea tegat, quae impudice ostenduntur oculis hominum.

66 Olim habebatur parum virile, discinctum esse: nunc idem *nemini vitio* vertitur, quod induſiis, subuculis, et caligis (seu feminalibus) repertis tegantur pudenda, etiamsi diffluat tunica.

87 Alioqui veſtis breuior, quam vt inclinanti tegat partes, quibus debetur honos, nusquam non inhoneſta eſt.

88 Pro modo facultatum ac dignitatis, proque regione ac more adſit cultui mundicies, nec ſordibus notabilis, nec luxum aut laſciuiam, aut faſtum prae ſe ferens.

89 Neglectior cultus decet adoleſcentes, ſed citra immundiciem.

90 Vt totum corporis habitum mundum et compoſitum eſſe decet, ita decet illum corpori congruere.

91 Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne teipſum reflexis oculis contemplare, nec gaudio geſtias, aliisque oſtentes: nam alterum ſimiarum, alterum pauonum eſt.

92 Quo maior eſt fortuna, hoc eſt amabilior modeſtia.

93 Tenuioribus, in conditionis ſolatium, concedendum eſt, vt moderate ſibi placeant.

94 At diues, oſtentans ſplendorem amictus, aliis ſuam exprobrat miſeriam, ſibique conflat inuidiam.

De Conviviis.

95 In Conuiuiis adsit hilaritas, absit petulantia.

96 Non nisi lotus accumbe, sed ante praefectis vnguibus, ne quid in his haereat sordidum, dicarisque homo sordidus.

97 Abstergens manus simul abiice, quicquid animo aegre est.

98 Nam in conuiuio nec tristem esse decet, nec contristare quemquam.

99 Iussus consecrare mensam, vultum ac manus ad religionem *componito*.

100 Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari religione auscultato.

101 Sedis honorem alteri libenter cede, et ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excusa; si tamen id crebro serioque iubeat aliquis auctoritate praeditus, verecunde obtempera, ne videare, pro ciuili, praefractus.

102 Cubito, vel vtroque, vel altero inniti mensae, senio morboue fessis condonatur.

103 Idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant, quicquid agunt, dissimulandum est, non imitandum.

104 Interea cauendum, ne proxime accumbenti cubito, nec ex aduerſo pedibus ſis moleſtus.

105 In ſella vacillare, et nunc huic, nunc alteri nati viciſſim inſidere, etiam indecorum eſt. Corpus igitur aequo libramine ſit erectum.

106 Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo pileum relinquito, niſi vel regionis mos diuerſum ſuadeat, vel alicuius auctoritas praecipiat, cui *non parere* ſit *indecorum*.

107 Apud quasdam nationes mos eſt, vt pueri, ſtantes ad maiorum menſam, capiant cibum extremo loco, retecto capite.

108 Ibi nec puer accedat, niſi iuſſus, nec haereat vsque ad conuiuii finem, ſed ſumpto quod ſatis eſt, ſublata quadra ſua, ſalutet conuiuas, praecipue illum, qui inter conuiuas caeteris eſt *honoratior*.

109 A dextris ſit cantharus vel poculum, et cultellus eſcarius rite purgatus, ad laeuam panis.

110 Panem vna vola preſſum ſummis digitis refringere, non decet; cultello ſeca decenter, non vndique reuellens cruſtam, aut vtrinque reſecans; delicatorum hoc eſt.

111 Panem veteres in omnibus conuiuiis, ceu rem ſacram, religioſe tractabant; vnde nunc quoque mos relictus eſt, eum forte delapſum in humum ſtudioſe tollere.

112 Conuiuium ſtatim a poculis auſpicari, potatorum eſt, qui bibunt, non quod ſitiant, ſed quod ſoleant.

113 Nec ea res ſolum moribus eſt inhoneſta, verum etiam officit corporis valetudini.

114 Tum vinum, tum cereuiſia, nihilominus quam vinum inebrians, vt puerorum valetudinem laedit, ita mores dedecorat.

115 Aqua feruidae conuenit aetati, aut, ſi id non patitur ſiue regionis qualitas, ſiue alia quaepiam cauſa, tenui cereuiſia vtatur, aut vino nec ardenti, et aqua diluto.

116 Alioqui, mero gaudentes haec ſubſequuntur praemia: dentes rubiginoſi, genae defluentes, oculi luſcioſi, mentis ſtupor, breuiter, ſenium ante ſenectam.

117 Antequam bibas, praemande cibum, nec labra admoueas poculo aut cantharo, nisi prius mantili aut linteolo absterſa, praeſertim, ſi quis ſuum poculum aut cantharum tibi porrigit, aut vbi de communi bibitur poculo aut cantharo.

118 Inter bibendum intortis oculis alios intueri, illiberale eſt, quemadmodum et ciconiarum exemplo, ceruicem in tergum reflectere, ne quid haereat in imo cyatho, parum eſt liberale.

119 Quidam, vbi bene vix conſederint, mox manus in epulas coniiciunt; id luporum eſt.

120 Primus cibum appoſitum ne attingito, non tantum ob id, quod arguit auidum, ſed quod interdum cum periculo coniunctum eſt, dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut exſpuere cogitur, aut ſi deglutiat, adurere gulam, vtroque ridiculus aeque ac miſer.

121 Aliquantiſper morandum, vt puer aſſuèſcat affectus temperare. Quo conſilio Socrates, ne ſenex quidem, vnquam de primo cratere bibere ſuſtinuit.

122 Si cum maioribus accumbit puer, poſtremus, nec id niſi inuitatus, manum admoueat patinae.

123 Digitos in iuſculenta immergere, agreſtium eſt, ſed cultello fuſcinaue tollat, quod vult, nec id ex toto eligat diſco, quod ſolent liguritores, ſed quod forte ante ipſum iacet ſumat.

124 Id quoque, ſi fuerit inſigniter elegans, alteri cedat, et quod proximum eſt, accipiat.

125 Vt igitur intemperantis eſt, in omnes patinae plagas manum immittere, ita parum decorum, patinam inuertere, quo veniant ad te lautiora.

126 Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, praefatus excuſatiunculam, recipiat, ſed, reſecta ſibi portiuncula, reliquum offerat ei, qui porrexerat, aut proxime aſſidenti communicet.

127 Quod digitis excipi non poteſt, quadra excipiendum eſt.

128 Si quis e placenta, vel artocrea, porrexerit aliquid, quadra excipe, aut cochleari porrectum

rectum accipe, et inuerſo in quadram cibo, cochleare reddito.

129 Si liquidius eſt, quod datur guſtandum, ſumito, et cochleare reddito, ſed ad mantile exterſum.

130 Digitos vnctos vel ore praelingere, vel ad tunicam extergere, pariter inciuile eſt; id mappa potius, aut mantili faciendum.

131 Integros bolos ſubito deglutire, coniarum eſt, ac balatronum.

132 Si quid ab alio fuerit reſectum, inciuile eſt, manum quadramue porrigere, priusquam illud ſtructor offerat, ne videare praeripere, quod alteri paratum erat.

133 Quod porrigitur, porrecta quadra excipiendum.

134 Si quid offertur non congruens tuo ſtomacho, caue, ne direxis: non poſſum edere hoc; ſed blande agito gratias: eſt enim hoc vrbaniſſimum recuſandi genus.

135 Si perſtat inuitator, verecunde dicito, aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

136 Discenda est a primis statim annis secandi cibi ratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis et commoda.

137 Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter Phasianus, aliter perdix, aliter anas; qua de re sigillatim praecipere, vt prolixum sit, ita nec operae pretium.

138 Illud in vniuersum tradi potest: apitiorum esse, omni ex parte, quicquid palato blanditur, abradere.

139 Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est.

140 Panem praerosum iterum in ius immergere, inurbanum est: sicut et cibum mansum faucibus eximere, et in quadram reponere, inelegans.

141 Cibum ambesum, aut ossa semel in quadram seposita, repetere, vitio datur.

142 Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensae stragulam proiice, nec in patinam repone, sed in quadrae angu-

lum

lum ſepone, aut in diſcum, qui apud non-
nullos reliquiis excipiendis apponitur.

143 Canibus alienis de menſa porrigere ci-
bum, ineptiae tribuitur. Ineptius eſt, illos
in conuiuio contrectare.

144 Oui putamen digitorum vnguibus, aut
pollice repurgare, ridiculum eſt, idem in-
ſerta lingua facere, magis eſt ridiculum: cul-
tello id fit decentius.

145 Oſſa dentibus arrodere, caninum eſt,
cultello purgare, ciuile.

146 Cultello, *non* digitis, ſumendum eſt ſa-
lis, quantum ſatis eſt.

147 Si longius abeſt ſalinum, porrecta qua-
dra petendum eſt.

148 Quadram, aut patinam, cui ſaccharum,
aut aliud ſuaue quiddam adhaeſit, lingua
lambere, felium eſt, non hominum.

149 Carnem prius minutim in quadra diſſe-
ces, mox, addito pane, ſimul aliquamdiu
mandas, priusquam traiicias in ſtomachum:
id non ſolum ad bonos mores, verum etiam
ad bonam valetudinem pertinet.

152 Quidam deuorant verius, quam edunt, non aliter, quam mox, vt aiunt, adducendi in carcerem. Latronum ea est tuburcinatio.

153 Quidam tantum simul in os ingerunt, vt vtrinque, ceu folles tumeant buccae: alii mandendo diducto labrorum sonitum edunt, porcorum in morem.

154 Nonnulli vorandi studio spirant etiam naribus, quasi praefocandi.

155 Ore pleno vel bibere, vel loqui, nec decorum est, nec tutum.

156 Quidam citra intermissionem edunt, bibuntque, non, quod esuriant, sitiantue, sed quod alioqui gestus moderari non possint, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut exspuant.

157 Ea res a nimio pudore profecta, nonnullam insaniae speciem habet.

158 Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc taedii, si non datur oportunitas loquendi.

159 Inciuile est, cogitabundum in mensa accumbere.

Quos-

157 Quosdam autem videas adeo ſtupentes, vt nec audiant, quid ab aliis dicatur, nec ſe comedere, ſentiant, et ſi nominatim appelles, veluti e ſomno excitati videantur, adeo totus animus eſt in patinis.

158 Inurbanum eſt, oculis circumactis obſeruare, quid quisque comedat, nec decet in quemquam conuiuarum diutius intentos habere oculos.

159 Inurbanius etiam, eos transuerſim hirquis intueri, qui in eodem accumbunt latere: inurbaniſſimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera menſa.

160 Effutire, ſi quid liberius inter pocula dictum factumue ſit, nulli decorum eſt, nedum puero.

161 Puer, cum natu maioribus accumbens, numquam loquatur, niſi aut cogat neceſſitas, aut abs quopiam inuitetur.

162 Lepide dictis modeſte modiceque arrideat, obſcoene dictis ne quando arrideat, ſed nec frontem contrahat, ſi praecellit dignitate, qui dixit: ſed ita vultus habitum temperet,

vt aut non audiſſe, aut certe non intellexiſſe, videatur.

163 Mulieres quidem ornat ſilentium, ſed magis pueritiam.

164 Quidam reſpondent, priusquam oratio-nem finierit is, qui compellat: ita ſaepe fit, vt aliena reſpondens, ſit riſui, detque veteri locum prouerbio: falces non ligones pete-bam.

165 Docet hoc Rex ille ſapientiſſimus, Stultitiae tribuens, reſpondere, priusquam audias: Non audit autem, *qui non intellexerit.*

166 Si minus intellexerit percontantem, pauliſper obticeſcat, donec ille, quod dixit, ſponte repetat.

167 Id ſi non facit, ſed reſponſum vrget, blande veniam praefatus puer oret, vt quod dixerat, dicat denuo.

168 Intellecta percontatione paululum interponat morae, deinde tum paucis reſpondeat, tum iucunde.

169 In conuiuio nihil effutiendùm, quod obfuſcet hilaritatem.

Ab-

170 Abſentium famam ibi laedere, piaculum eſt.

171 Nec cuiquam illic ſuus refricandus eſt dolor.

172 Vituperare, quod appoſitum eſt, inciuilitati datur, et ingratum eſt conuiuatori.

173 Si de tuo praebetur conuiuium, vt, excuſare tenuitatem apparatus, vrbanum, ita, laudare, aut commemorare, quanti ſingula conſtiterint, inſuaue profecto condimentum eſt accumbentibus.

174 Denique, ſi quid a quoquam in conuiuio fit ruſticius per imperitiam, ciuiliter diſſimulandum potius, quam irridendum.

175 Decet compotationem libertas. Et turpe eſt, ſub dium, vt ait Flaccus, rapere; id eſt, temere effutire, ſi quid cui ſuper coenam excidit incogitantius.

176 Si conuiuium erit, quam pro puerili aetate, prolixius, et, ad luxum tendere, videbitur, ſimul atque ſenſeris, naturae factum ſatis, aut clam, aut veniam precatus, te ſubducito.

178 Qui puerilem aetatem adigunt ad inediam, mea quidem ſententia inſaniunt, neque multo

minus

179 minus ii, qui pueros immodico cibo dif-
farciunt.

180 Nam, vt illud debilitat teneri corpuſculi viriculas, ita hoc animi vim obruit.

181 Moderatio tamen ſtatim eſt diſcenda.

182 Citra plenam ſaturitatem reficiendum eſt puerile corpus, magisque crebro, quam copioſe.

183 Quidam, ſe ſaturos, neſciunt, niſi dum ita diſtentus eſt ventriculus, vt in periculum veniant, ne diſrumpantur, aut, ne per vomitum reiiciant onus.

184 Oderunt liberos, qui illos, etiam nunc teneros, coenis in multam noctem productis perpetuo ſinunt aſſidere.

185 Ergo, ſi ſurgendum erit a prolixiore conuiuio, ſalutato eo, qui videtur inter conuiuas honoratiſſimus, diſcedito, ſed mox rediturus, ne videare luſus, aut alterius parum honeſtae rei gratia te ſubduxiſſe.

186 Reuerſus, miniſtrato, ſi quid opus erit, aut reuerenter menſae aſſiſtito, ſi quis quid iubeat, exſpectans.

Si

186 Si quid apponis, aut ſubmoues, vide, ne cui veſtem iure perfundas.

187 Candelam emuncturus, prius illam e menſa tollito; et ſiquid eius, quod emunctum eſt, forte in terram cecidit, protinus aut arenae immergito, aut ſolea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares.

188 Si quid porrigis infundisue, laeua id facias, caueto.

189 Iuſſus agere gratias, compone geſtus, paratum te ſignificans, donec, ſilentibus conuiuis, dicendi tempus adfuerit.

---

190 De Congressibvs.

Si quis occurrit in via vel ſenio venerandus, vel religione reuerendus, vel dignitate grauis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere et reuerenter aperire caput.

192 Nec vero ſic cogitet: quid mihi cum ignoto? quid cum nihil vmquam bene de me merito?

193 De parentibus interim nihil dico, quibus, ſecundum Deum, primus debetur honos; nec minus praeceptoribus, qui mentes hominum

hominum quodammodo, dum formant, generant.

194 Iam et inter aequales illud locum habere debet: Honore inuicem praeuenientes.

195 Qui parem, aut inferiorem honore praeuenit, non ideo fit ipſe minor, ſed ciuilior, et ob id honoratior.

196 Cum maioribus reuerenter loquendum, et paucis, cum aequalibus amanter et comiter.

197 Inter loquendum pileum laeua teneat, dextra leuiter admota vmbilico.

198 Pudor adſit, ſed qui decoret, non, qui reddat attonium.

199 Oculi ſpectent eum, cui loqueris, ſed placidiſimplicesque, nihil procax improbumue praeſe ferentes.

200 Oculos in terram deiicere, malae conſcientiae ſuſpicionem habet.

201 Transuerſum tueri, videtur auerſantis; vultum huc illuc voluere, leuitatis argumentum eſt.

202 Indecorum eſt, interim vultum in varios mutare habitus, vt nunc corrugetur naſus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur ſuper-

supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur: haec animum arguunt Protei similem.

203 Indecorum et illud, concusso capite iactare comam; sine causa tussire, screare, quemadmodum et manu scabere caput, scalpere aures, emungere nasum, demulcere faciem, quod est veluti pudorem abstergentis; suffricare occipitium et humeros adducere.

204 Rotato capite negare, aut reducto accersere, et ne persequar omnia, gestibus aut nutibus loqui, vt virum interdum deceat, puerum minus decet.

205 Illiberale est, iactare brachia, gesticulari digitis, vacillare pedibus: breuiter, non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens a picarum moribus.

206 Vox sit mollis ac sedata, non clamosa, nec tam pressa, vt ad aures eius, cui loqueris, non perueniat.

207 Sermo sit non praeceps, neque mentem praecurrens, sed lentus et explanatus.

Hoc

208 Hoc etiam naturalem battariſmum aut haeſitantiam, ſi non totam tollit, certe magna ex parte mitigat, quum praecipitatus ſermo multis vitium conciliet, quod non dederat natura.

209 Inter colloquendum ſubinde titulum honorificum eius, quem appellas, repetere, ciuilitatis eſt.

210 Patris ac Matris vocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius: fratris ſororisue nomine nihil amabilius.

211 Si te fugiunt tituli peculiares, omnes ignoti ſint tibi, domini, omnes ignotae, dominae.

212 Ex ore pueri turpiter auditur iusiurandum, ſiue iocus ſit, ſiue res ſeria.

213 Quid enim turpius eo more, quo ad tertium quodque verbum quidam deierant?

214 Obſcoene dictis nec linguam praebeat ingenuus puer, nec aures accommodet.

215 Denique, quicquid inhoneſte nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus.

216 Si res exigat, vt aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione verecunda rem notet.

Rurſus,

217 Rurſus, ſi quid inciderit, quod auditori nauſeam ciere poſſit, veluti, ſi quis narret vomitum, aut latrinam, aut oletum, praefe-
tur honorem auribus.

218 Si quid minus verum refellendum erit, caue, dicas: haud vera praedicas, praeſertim, ſi loquatur grandior natu; ſed, praefatus pacem, dicas: mihi ſecus narratum eſt de tali.

219 Puer ingenuus cum nemine contentionem ſuſcipiat, ne cum aequalibus quidem, ſed cedat potius victoriam, ſi res ad iurgium veniat, aut ad *Arbitrum prouocet.*

220 Ne cui ſe praeferat, ne ſua iactet;

221 Ne cuiusquam inſtitutum reprehendat, aut vllius nationis ingenium moresue ſugillet;

222 Ne quid arcani creditum euulget;

223 Ne nouos ſpargat rumores;

224 Ne cuius obtrectet famae;

225 Ne cui probro det vitium natura inſitum; id enim non ſolum contumelioſum eſt, et inhumanum, ſed etiam ſtultum; veluti ſi quis luſcum appellet luſcum; aut loripedem, loripedem: aut ſtrabum, ſtrabum, aut nothum, nothum.

226 His rationibus fiet, vt sine inuidia laudem inueniat, et amicos paret.

227 Interpellare loquentem, antequam fabulam absoluerit, inurbanum est.

228 Cum nemine simultatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosque cum delectu.

229 Ne cui tamen credat, quod tacitum velit. Ridiculum enim est, ab alio silentii fidem exspectare, quam ipse tibi non praestes.

230 Nullus autem est linguae adeo continentis, vt non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum.

231 Tutissimum est autem, nihil admittere, cuius te pudeat, si proferatur.

232 Alienarum rerum ne fueris curiosus, et si quid forte conspexeris audiuerisue, fac, quod scis, nescias.

233 Litteras tibi non oblatas, limis intueri, parum ciuile est.

234 Si fors te praesente, scrinium suum, aut cistam aperit quis, subducito te. Nam inurbanum est, inspicere, contrectare aliquid, inurbanius. Item,

235 Item, si senseris, inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, et in eiusmodi colloquium ne temet ingeras, non accersitus.

---

236 De Lvsv.

In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia, rixarum parens, absit dolus ac mendacium.

237 Nam ab his rudimentis proficiscitur ad maiores iniurias.

238 Pulchrius vincit, qui cedit contentioni, quam qui palmam obtinet.

239 Arbitris ne reclamita.

240 Si cum imperitioribus ludendi certamen est, possisque semper vincere, nonnunquam te vinci patere, quo ludus sit alacrior.

241 Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse, nescias.

242 Animi causa ludendum est, non lucri gratia.

243 Aiunt puerorum indolem nusquam magis apparere, quam in lusu.

244 Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad violentiam, ad arrogantiam propensius ingenium, hic emicat naturae vitium.

245 Proinde puer ingenuus non minus in ludo, quam in conuiuio sui similis sit.

---

246 De Cvbicvlo.

In cubiculo laudatur silentium et verecundia.

247 Certe clamor et garrulitas indecora est, multo magis in lecto.

248 Siue cum exuis te, siue cum surgis, memor verecundiae, caue, ne quid nudes aliorum oculis, quod mos et natura tectum esse voluit.

249 Si cum sodali lectum habes communem, quietus iaceto, neque corporis iactatione vel teipsum nudes, vel sodali detractis palliis sis molestus.

250 Priusquam reclines corpus in ceruical, breui precatiuncula temet Deo commenda.

Idem

251 Idem facito, cum mane primum temet erigis, a precatiuncula diem auſpicans; non enim potes ab omine feliciore.

252 Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, niſi prius lota facie manibusque, et ore proluto.

253 Quibus contigit bene naſci, his turpe eſt, generi ſuo non reſpondere moribus.

254 Quos fortuna voluit eſſe plebeios, humiles, aut etiam agreſtes, his impenſius etiam adnitendum eſt, vt quod ſors inuidit, morum elegantia compenſent.

255 Nemo ſibi parentes aut patriam eligere poteſt, at ingenium moresque ſibi quisque poteſt fingere.

256 Maxima ciuilitatis pars eſt, quum ipſi nusquam delinquamus, aliorum delictis facile ignoſcere, nec ideo ſodalem minus habere charum, ſi quos habet mores inconditiores.

257 Sunt enim, qui morum ruditatem aliis compenſant dotibus.

258 Neque haec ita praecipiuntur, quasi fine his nemo bonus esse possit.

259 Quod si sodalis per insciti am peccet, in eo sane, quod alicuius videtur momenti, solum ac blande ipsum monere, ciuilitatis est.

II.

Ex

Ludouici Viuis

ad veram ſapientiam introductione.

I.

VEra ſapientia eſt, de rebus incorrupte iudicare, vt talem vnamquamque exiſtimemus, *qualis ipſa eſt*: ne vilia ſectemur, tanquam pretioſa: aut pretioſa tanquam vilia reïiciamus: ne vituperemus laudanda, neue laudemus vituperanda.

2. Hinc enim error omnis in hominum mentibus, ac vitium oritur, nihilque eſt in vita humana exitiabilius, quam deprauatio illa iudiciorum, cum rebus non ſuum pretium redditur.

3. Non aliud igitur magis laborandum eſt, quam vt ſapientiae ſtudioſum a populari ſenſu abducamus et vindicemus.

4. Magnus enim erroris magiſter populus.

5. Primum omnium ſuſpecta illi ſint, quaecunque multitudo magno conſenſu approbat: niſi ad illorum normam reuocauit, qui ſingula virtute metiuntur.

6. Adſueſcat vnusquisque iam tum a puero, veras habere de rebus opiniones, quae ſimul cum aetate adoleſcent.

7. Et ea cupiat, quae recta ſint, fugiat, quae praua: vt adſuefactio haec bene agendi, vertat ei probe in naturam, et non poſſit niſi coactus et reluctans ad male agendum pertrahi.

8. Eligenda eſt optima vitae ratio, hanc conſuetudo iucundiſſimam reddet.

9. Tota reliqua vita ex hac puerili educatione pendet.

10. Ergo in curriculo ſapientiae primus gradus eſt, illud veteribus celebratiſſimum: ſeipſum noſſe.

DIVISIO RERVM.

11. HOmo ex corpore conſtat et anima.

12. Corpus habemus ex terra et his elementis, quae cernimus ac tangimus, corporibus beſtiarum ſimile.

13. Animum diuinitus datum, angelis et Deo ſimilem, vnde cenſetur homo: et qui ſolus merito eſſet homo appellandus, vt maximis viris placuit.

14. In corpore ſunt forma, ſanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio: et his contraria, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, et alia corporis ſeu commoda ſeu incommoda.

15. In animo eruditio et virtus: et contraria, ruditas, vitium.

16. Extra hominem ſunt diuitiae, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia: et contraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, vilitas, dedecus, obſcuritas, odium.

Rervm natvrae ac pretia.

17. Regina et princeps rerum omnium praestantissima est virtus: cui reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

18. Virtutem voco, pietatem in Deum et homines, cultum Dei et amorem in homines voluntatemque benefaciendi.

19. Reliqua si quis ad virtutem hanc referat, non mala videbuntur.

20. Nec qui primum haec nuncupauere bona sic de illis senserunt, vt nunc vulgus, quod veros illos ac naturales significatus corrupit, vnde et rerum aestimationes mutatae sunt.

21. Sic enim sunt intelligenda haec, quatenus censentur bona: diuitiae sunt non gemmae, aut metalla, non magnifica aedificia, vel suppellex instructa: sed non iis carere, quae sunt ad tuendam vitam necessaria.

22. Gloria, bene audire de virtute.

23. Honor, veneratio ad virtutem.

24. Digni-

24. Dignitas, recta hominum opinio de magna virtute.

25. Potentia et regnum, habere multos, quibus probe ac recte consulas.

26. Nobilitas, excellentia actuum esse cognitum; vel a nobilibus prognatum, similem parentum se habere.

27. Sanitas, talis habitudo corporis, vt valeat mens.

28. Species, lineamenta corporis, quae animum formosum ostendant.

29. Vires et robur, vt exercitiis virtutis sufficias, ne facile fatigeris.

30. Voluptas, delectatio pura, solida et diuturna, qualis capitur ex iis solis, quae ad animum pertinent.

31. Si quis haec aliter, vt a populo videlicet intelliguntur, discutiat ac extendat, reperiet inepta, vana, noxia esse.

32. Primum externa omnia vel ad corpus referuntur, vel ad animum; vt diuitiae ad tuendam vitam, honor ad iudicium virtutis.

33. Cor-

33. Corpus ipſum nihil aliud eſt, quam tegumentum vel mancipium animi, cui et natura, et ratio, et Deus ipſe iubent ſubiectum eſſe, vt brutum ſentienti, mortale immortali ac diuino.

34. Porro in ipſo animo eruditio in hoc paratur, vt cognitum vitium facilius fugiamus, cognitam virtutem facilius perſequamur teneamusque, alioqui ſuperuacanea eſt.

35. Quid aliud eſt in vita, quam peregrinatio quaedam tot vndique caſibus obiecta et petita, cui nulla hora non imminet finis, qui poteſt leuiſſimis de cauſis accidere?

36. Quare ſtultiſſimum eſt, cupiditate tam incertae vitae foedum aliquid aut prauum agere.

37. Et quemadmodum in via, ſic in vita, quo quis expeditior, et paucioribus ſarcinis implicitus, hoc leuius et iucundius iter facit.

38. Tum natura humani corporis ita conſtitutum eſt, vt pauciſſimis egeat; vt ſi quis animaduertat, haud dubie inſaniae damnet eos, qui tam multa tam anxie congerunt, cum ſit tam paucis opus.

39. Di-

39. Diuitiae namque et possessiones, et vestimenta in vsum tantum parantur: quem non adiuuant immensae opes, sed opprimunt, vt nauem ingentia onera.

40. Nec aurum, si non vtare, a coeno differt, nisi quod magis angit eius custodia: et efficit, vt dum vni studes, ea negligas, quae maxime sunt homini curanda.

41. Est enim pecunia idolorum seruitus, cum ei reliqua posthabentur, nempe pietas et sanctum.

42. Vt transeam, quot insidiae diuitiis tenduntur, quot et quam variis casibus pereunt, in quam multa vitia detrudunt.

43. Culta vestimenta quid aliud sunt, quam superbiae instrumenta.

44. Vtile indumentum excogitauit necessitas, pretiosum luxus, elegans vanitas: suborta est in vestitu contentio. Haec multa docuit superuacanea et damnosa, dum homines etiam ex eo, quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

45. Ita diuitiarum pars maxima, aedificia, suppellex numerosa et opulenta, gemmae,

mae, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, ſpectantium oculis et comparantur, et exponuntur, non poſſidentium vſibus.

46. Iam nobilitas quid eſt aliud, quam naſcendi ſors et opinio, a populi ſtultitia inducta, vt quae ſaepe numero latrociniis quaeritur?

47. Vera et ſolida nobilitas a virtute naſcitur, ſtultumque eſt, gloriari te parentem habuiſſe bonum, quum ſis ipſe malus, et turpitudine tua dedecori ſis pulchritudini generis.

48. Sed certe omnes ex eisdem conſtamus elementis, et idem omnium pater Deus.

49. Ignobilitatem contemnere, hoc eſt Deum, naſcendi autorem, tacite reprehendere.

50. Potentia quid eſt aliud, quam ſpecioſa moleſtia? In qua ſi quis ſciret, quae ſolicitudines, quae anxietates ſint, quantum malorum mare, nemo eſt tam ambitioſus, qui non eam fugeret, vt grauem miſeriam.

51. Quantum eſt odium, ſi regas malos? quanto maius, ſi malus ipſe?

52. Honor

52. Honor, ſi ex virtute non oritur, prauus eſt: ſin ex virtute, hoc praeſtat virtus, vt is negligatur; aliter vera non erit virtus, ſi quid honoris faciat gratia: ſequi enim debet honor, non expeti.

53. Dignitates, quis poteſt ſic appellare, cum indigniſſimis quoque hominibus contingant, nempe fraude, ambitione, praemiis, peſſimis artibus quaeſitae.

54. Et gloria, eſtne aliud, quam (vt ille dixit) aurium vana inflatio?

55. Secedat in ſe vnusquisque ac ſolus cogitet: inueniet quam parum ad ſe attingat ex fama, rumoribus, veneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

56. Quid in ſomno, quid in ſolitudine inter ſummum regem intereſt, et infimum ſeruum?

57. In corpore ipſo quid eſt forma? nempe cuticula bene colorata. Si interiora cerni poſſent, quanta vel in corpore ſpecioſiſſimo cerneretur foeditas.

58. Lineamenta et corporis decor quid iuuant, ſi turpis ſit animus? et ſicut Graecus

ille

ille dixit, in hoſpitio pulchro hoſpes deformis?

59. Tranſeo, quod forma, vires, agilitas, et ceterae corporis dotes, vt floſculi, celeriter marceſcunt, exiguis caſibus diffugiunt: vel vna febricola validiſſimum quandoque hominem concutit, et ſummum decorem tollit.

60. Vt nihil accidat, certe neceſſe eſt illa omnia cum aetate flacceſcere ac decidere.

61. Nemo ergo poteſt externa iure ſua dicere, quae tam facile ad alios tranſeunt: nec corporea, quae tam cito euolant.

62. Quid? quod haec, quae multi admirantur, magnorum vitiorum ſunt cauſae: velut inſolentiae, arrogantiae, ſocordiae, ferocitatis, liuoris, aemulationis, ſimultatum, rixarum, bellorum, caedis, cladis.

63. Delectatio corporis, vt corpus ipſum, vilis ac pecudina eſt, qua ſaepius et vehementius et diutius pecora, quam homines, perfruuntur.

64. Ex hac cum morbi plerique ad corpus redundant, et ad rem familiarem permagna

magna damna: tum ad animum certa poenitentia et hebetudo ingenii, quod deliciis corporis extenuatur ac frangitur; denique odium virtutum omnium.

65. Nec aperte frui licet: nam vt decent generositatem nostrae mentis, ita nemo tam perditus est, quin eas erubescat apud arbitros capere; pariunt enim ignominiam, idcirco tenebras et latebras quaerunt.

66. Quid? quod sunt fugacissimae et mentaneae, nec retineri vlla vi possunt, nec vnquam veniunt purae, cuiuscunque amaritudinis expertes?

67. Ergo maximum malum putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: sed vitia, et his proxima, insciti am, stuporem, dementiam.

68. Magnum bonum credito horum contraria, virtutem, et quae huic sunt finitima, peritiam, acumen ingenii, sanitatem mentis.

69. Reliqua vel externa, vel corporis, si habes, proderunt tibi, ad virtutem relata:

oberunt, ad vitia. Si non habes, caue ne quaeras, vel cum minimo diſpendio virtutis.

70. Prolixus quaeſtus eſt, pietas cum ſufficientia. Fama, (tametſi nihil agendum eſt vt videaris) conſeruanda tamen eſt integra, quod interdum ea cura a multis nos turpibus cohibet, ſed praecipue in exemplum ceterorum.

71. Vnde praeceptum illud ſapientium et ſanctorum virorum: nec malum faciendum, nec eius ſimile.

72. Quod ſi hoc aſſequi non poſſumus, conſcientia debemus eſſe contenti, et cum tam deprauati erunt hominum ſenſus, vt quae ſunt optima, putent eſſe ſceleſtiſſima: tunc laborandum erit, vt interna et externa ſoli Deo approbemus, idque abunde nobis ſufficiat.

73. Etiam mala, quae dicuntur corporis, vel fortunae, licebit in bonum vertere, ſi patienter feras: et tanto ſis ad virtutem promtior, quo minus tibi in illis ſuccedit, ac proinde es expeditior.

74. Saepe

74. Saepe numero ex damnis corporis, vel externorum magnae sunt accessiones virtutibus natae.

De Corpore.

75. Et quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum, maximasque opes in vasis fictilibus: non omnino repudiandum nobis est, et contemnendum corpus.

76. Sic curandum tamen, vt se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium, nec sibi pasci, aut viuere, sed alteri.

77. Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur, et vt, equus delicate pastus, sessorem excutit.

78. Grauis sarcina corporis animum elidit; acumen ingenii sagina corporis aut indulgentia retunditur.

79. Cibi, somni, exercitationes, tota corporis curatio ad sanitatem referenda sunt, non ad voluptatem: vt animo promte inseruiat, nec ferocia cultus insolescat, nec virium inopia decidat.

80. Nihil est, quod aeque et vigorem mentis debilitet, et robur ac neruos corporis infringat, vt voluptas. Quippe vires omnes et corporis et mentis, opere ac labore vegetantur, otio et mollitie voluptatis langueſcunt.

81. Mundities corporis et victus citra delicias, ad valetudinem et ingenium confert.

82. Ablues ſubinde manus et faciem aqua frigida, detergesque mundo linteolo.

83. Repurgabis crebro eas partes, quae ſordibus et excrementis ad extima corporis meatus praebent.

84. Hae ſunt, Caput, Aures, Oculi, nares, axilae et reliquae.

85. Pedes mundi et calidi foueantur.

87. Ne ſtatim edas a quiete, nec ante prandium, niſi tenuiter.

88. Ientaculum enim ſedando ſtomacho, aut refocillando datur corpori, non ſatietati.

89. Ideo tres aut quatuor panis buccae ſufficiunt, ſine potione, aut certe exigua, atque

que ea tenui. Salutare hoc non minus ingenio, quam corpori.

90. In prandio et coena assuesce non vesci, nisi ex vno obsonii genere, eodem simpliciſſimo, et quantum per facultates licebit, saluberrimo, quamuis multa mensae inferantur: et si tua sit mensa, noli admittere.

91. Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum.

92. Munda et pura parsimonia temperatis et castis animis congruit. Ea sola efficit, ne multis indigere nobis videamur, nec suscipiamus pessima facinora quaestus gratia, quo gulae morem geramus.

93. Tum praestat, vt quae adsunt non modo nobis sufficiant, sed ex eis liceat egentibus impartiri.

94. Natura necessaria docuit, quae sunt pauca et parabilia. Stultitia superflua excogitauit, quae sunt infinita et difficilia.

95. Naturae si des necessaria, delectatur et roboratur, tanquam propriis: sin superflua, debilitatur, et affligitur tanquam alienis.

96. Stultitiam neceſſaria non explent: ſuperflua cum obruant, non ſatiant.

97. Potus erit, vel naturalis ille vniuerſis animantibus in commune a Deo paratus, pura et liquida aqua, vèl tenuiſſima cereuiſia vel vinum bene dilutum.

98. Nihil eſt quod iuuenum corporibus magis officiat, quam calidus, cibus aut potus. Incendit enim et exurit eorum viſcera, agitque in libidinem et temeritatem praecipites.

99. A coena ne bibe: aut ſi id admonet ſitis, ſume humidum aliquid et frigidiuſculum, aut perpuſillum tenuis potiunculae.

100. Inter eam potionem et quietem, interpone cum minimum horae dimidium.

101. Leuaturus animum, fac cogites, quam exiguum tempus datum ſit vitae hominum: ex illo non oportere multum deſcindi ad luſus, ad commeſſationes, ad puerilitates, ad ineptias.

102. Breue ſpatium eſſe vitae noſtrae, etiam ſi totum bonae menti impenderetur.

103. Non eſſe nos a Deo creatos ad luſum aut nugas; ſed ad ſeria, ad moderationem,

nem, modeſtiam, temperantiam, religionem, omne genus virtutis et laudis.

104. Morbum corporis, morbis animi ne curaueris.

105. Exercitationes corporis non erunt immodicae, caeterum aptandae rationi valetudinis, in quo ſequenda erunt medicinae Conſultorum conſilia.

106. Sic tamen, ne quid habeant turpe, immodeſtum, obſcoenum, flagitioſum: etiam in remiſſionibus et refectionibus animi, adſit aliqua memoria virtutis.

107. Abſit arrogantia, contentio, rixa, inuidia, cupiditas: qui enim conuenit cruciare animum, dum delectare ſtudes? Non aliter quam ſi fel infundas in id mel, quod cupis eſſe quam dulciſſimum.

108. Somnus ſumendus eſt tanquam medicina quaedam, curando corpori, tantummodo, quantus ſufficit. Immodicus enim reddit corpora redundantia noxiis humoribus, ſegnia, pigra, lenta, et celeritatem mentis tardat.

109. Nec eſt exiſtimandum vitae id tempus, quod ſomno impenditur. Vita enim vigilia eſt.

De Animo.

110. In animo duae ſunt partes: illa quae intelligit, meminit, ſapit, ratione, judicio, ingenio utitur ac valet.

Haec pars ſuperior appellatur, et proprio nomine mens: qua homines ſumus, qua Deo ſimiles, qua ceteris animantibus praeſtamus.

111. Eſt altera ex coniunctione corporis bruta; in qua ſunt motus illi, qui ſiue affectus, ſiue perturbationes nominantur: ira, metus, moeror, cupiditas, ſtulta gaudia.

Pars inferior nominatur etiam Animus qua nihil a beluis differimus; et qua longiſſime deſcedimus a Deo, extra morbum et perturbationem omnem poſito.

112. Hic eſt naturae ordo, vt ſapientia regat omnia, pareant homini caetera, quae videmus. In homine vere corpus animo, animus menti, mens Deo. Si quis hunc ordinem egreditur, peccat.

113. Ergo peccatum est in homine, perturbationes illas tumultuari, saeuire ac trahere ad se ius et ditionem totius hominis, spreta et contemta mente; mentem etiam relicta Dei lege animo et corpori seruire.

De Ervditione.

114. Idcirco menti indita est vis intelligendi, vt singula expendat, sciatque quid factu bonum sit, quid secus: et vis volendi, vt imperio huius nihil sit in animo quod non pareat, si illa contendat, nec de iure decedat suo.

115. Ingenium multis artibus excolitur et acuitur, instruiturque magna et admirabili rerum notitia, quo exactius singulorum naturas et pretia cognoscat: possitque voluntatem docere, quid sequendum bonum, quid vitandum malum.

117. Non attingendi autores spurci, ne quid sordium animo ex contagio adhaereat.

118. Est diuina eruditio a Deo tradita, in qua sunt thesauri omnes scientiae et sapientiae reconditi: haec est vera mentium lux.

119. Tribus velut instrumentis fabricamur eruditionem, ingenio, memoria, cura.

120. Ingenium exercitatione acuitur.

121. Memoria, excolendo augetur.

122. Vtrumque eneruant delitiae, bona valetudo confirmat, et otia et diuturnae remissiones profligant, exercitamenta ad manum et in promptu ponunt.

123. Siue legis ipse quid, siue audis, attentus id fac: nec vagetur mens tua: sed coge illam ibi esse, et agere quod adest, non alia.

124. Si incipit digredi, eam reuoca; cogitationes omnes a studiis alienas, in aliud tempus differ.

125. Scito te operam et tempus perdere, si quae legis, vel audis, non attendas.

126. Quae ignoras, ne pudeat quaerere: ne erubesce a quouis doceri, quod maximi viri non erubuerunt, erubesce potius ignorare aut nolle discere.

127. Quae ignota tibi ſunt, ne iactes te ſcire: ſciſcitare potius ab iis, quos ſcire credis.

128. Si videri vis doctus, da operam vt ſis: nulla eſt compendioſior via, quemadmodum non alia ratione facilius conſequeris vt exiſtimeris bonus, quam ſi ſis talis.

129. Denique quicquid videri cupis, fac vt ſis: aliter fruſtra cupis.

130. Falſa tempus infirmat, vera corroborat.

131. Nulla ſimulatio diuturna.

132. Magiſtrum ſemper ſequere, noli praecurrere et illi crede; ne repugna.

133. Ama illum, et parentis loco habe: putaque veriſſima et certiſſima eſſe, quaecunque dicit.

134. Attende, vt quod ſemel erraſti, emendatus iterum aut tertio ne idem pecces.

135. Illorum decet te praecipue meminiſſe, in quibus falſus es, ne te rurſum decipiant.

136. Cuiusuis hominis eſt errare: nullius, niſi inſipientis, perſeuerare in errore.

137.

137. Scito nullum esse sensum, per quem promtius docemur, quam auditum.

138. Et nihil facilius, quam audire multa et nihil utilius.

139. Nec malis leuia, aut inepta, aut ridicula audire, quam seria, grauia, prudentia.

140. Pari labore vtraque discuntur, cum sit adeo commodum dispar.

141. Ne labores quam multa respondere, sed quam apte et in tempore.

142. Prandio tuo et coenae illos adhibe, qui te possint instituere, quique suaui ac docta collocutione pariter et exhilarent te et peritiorem reddant.

143. Scurras, parasitos, imperite loquaces aut spurce, moriones, nugatores, bibaces et id genus hominum aptum ad risum mouendum vel verbis vel factis, nec honore mensae tuae digneris; nec illi te, dum reficeris, oblectent: potius iucunda aliqua et ingeniosa confabulatio.

144. Non os modo a turpibus cohibe, sed etiam aures, tanquam fenestras animi:

memor

memor dicti veteris: corrumpunt mores probos confabulationes malae.

145. Siue ad menſam, ſiue alio quouis loco diligenter quid quisque dicat, auſculta.

146. Ex ſapientibus diſces, quo fias melior.

147. Ex ſtultis, quo fias cautior.

148. Quae ſapientes probarint, ſequeris.

149. Quae ſtulti laudarint, vitabis.

150. Si quid videris a cordatis recipi, tanquam vel argute, vel grauiter, vel ſapienter, vel docte, vel ingenioſe, vel vrbane dictum retinebis, vt et ipſe in occaſione vtaris.

151. Habebis librum chartaceum, in quo annotabis, ſi quid legeris, vel audieris dictum feſtiue, aut eleganter, aut prudenter: vel vocabulum aliquod exquiſitum, rarum, vtile ſermone quotidiano, vt cum vſus poſcat, habeas paratum.

152. Annitere, ne ſola verba intelligas, ſed praecipue ſenſa.

153. Quae legeris vel audieris, fac aliis narres, tum tuis condiſcipulis latine, tum aliis lingua tibi vernacula: et conare, ne minus

ipſe

ipse vel lepide, vel venuste referas, quam audieris, vel legeris: sic et ingenium exercebis et linguam.

154. Est etiam tractandus et agitandus saepe numero stilus, optimus dicendi magister.

155. Scribe, transcribe, rescribe crebro, atque annota: compone alternis diebus, aut ad summum tertio quoque, epistolam ad aliquem qui tibi respondeat, et tuam ostende institutori emendandam. Mendarum, quas sustulerit, fac recordere, ne rursus ad easdem impingas.

156. Post cibum velut a prandio et coena, cesset studium: sumto prandio sede, confabulare, audi aliquid suaue: aut sic lusita, ne nimium corpus exagites et concutias.

157. Post coenam, quam volo esse modicam, deambulato cum iucundo aliquo et docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cuius verba et sententias imitari cum decore possis.

158. Inter coenam et quietem vita omnino potum: nihil perniciosius simul corpori, memoriae,

moriae, ingenio: cum urgebit te ſitis, ſi biberis, pone inter potum et lectum interuallum, cum minimum ſemi horae.

159. Memoriam quieſcere non ſines.

160. Nihil eſt, quod aeque labore gaudeat et augeatur.

161. Commenda ei quotidie aliquid.

162. Quo plura commendabis hoc cuſtodiet omnia fidelius: quo pauciora, hoc infidelius.

163. Cum aliquid ei credideris, ſine eam quieſcere, et aliquanto poſt ab ea velut depoſitum repoſce.

164. Si quid vis ediſcere, id de nocte quater aut quinquies attentiſſimus legito: hinc ito cubitum, de mane exigito a memoria rationem eius, quod pridie credideris.

165. Cauendum a crapula et a cruditate.

166. Vinum enim memoriae mors.

167. Optimum eſſet ſingulis noctibus, paulo antequam cubitum concederes, in ſella te ſine arbitro ſedentem, quaecunque die illo vidiſſes, legiſſes, audiſſes, egiſſes, in memoriam reuocare.

168. Si quid feciſſes honeſte, moderate, prudenter, cordate, cum decore et laude, gauderes: ſciresque id eſſe Dei munus, et ſimilia pergeres facere.

169. Si quid turpiter immodeſte, flagitioſe, pueriliter inepte, vituperio dignum, ſcires ex tua malitia profectum: doleres et vitares impoſterum.

170. Si quid vel audiſſes, vel legiſſes elegans, doctum, graue, ſanctum, retineres.

171. Si quid vidiſſes probatum imitarere, ſi quid improbatum, fugeres.

172. Nulla tibi abeat dies, in qua vel non legeris, vel audieris, vel ſcripſeris aliquid, quod ſeu eruditionem, ſeu iudicium, ſeu virtutem augeat.

173. Cubitum iturus lege, vel audi aliquid dignum, quod memoriae mandetur, et de quo ſalubre ac iucundum ſit per quietem ſomniare: vt etiam nocturnis viſis diſcas et fias melior.

174. Studio ſapientiae nullus in vita terminus ſtatuendus eſt, cum vita eſt finiendum. Semper illa tria ſunt homini, quam diu

diu viuit, meditanda: quomodo bene ſapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.

175. A ſtudiis arrogantia omnis arcenda eſt: nam ea, quae vel doctiſſimus mortalium nouit, ſunt minutiſſimum eorum, quae ignorat.

Exiguum quiddam et obſcurum et incertum eſt, quicquid homines ſciunt, mentesque noſtrae, in hoc corpore deuinctae, magna ignoratione, et altiſſimis tenebris premuntur, aciemque adeo retuſam habemus, vt nec ſummas penetremus rerum facies.

176. Tum profectui ſtudiorum plurimum nocet arrogantia. Multi potuiſſent ad ſapientiam peruenire, ni iam putaſſent ſe peruenisſe.

177. Vitanda etiam contentio, aemulatio, obtrectatio, inanis gloriae cupido, cum in hoc ſequamur ſtudia, vt illa fugiamus.

178. Nihil excogitari poteſt iucundius cognitione multarum rerum, nihil intelligentia virtutis fructuoſius.

179. Studia res laetas condiunt, triſtes leniunt, temerarios impetus iuuentae cohi-

bent, ſenectutis moleſtam tarditatem leuant: domi, foris, in publico, in priuato, in ſolitudine, in frequentia, in otio, in negotio comitantur, adſunt, imo praeſunt, opitulantur, iuuant.

180. *Eruditio* paſtus ingenii veriſſimus, vt indignum ſit, paſci corpus eſuriente animo: ex qua voluptates, et oblectamenta, et ſolida, et perpetua: quae alia ex aliis naſcentia, et ſe renouantia, nunquam nos deſerunt, nec laſſant.

De Virtvte.

181. Praeſtantiſſima *illa* rerum vniuerſarum virtus, neque dono ab hominibus datur, neque accipitur; diuinitus contingit.

182. Idcirco a Deo ſuppliciter ac pie petenda eſt.

De Affectibvs.

183. Summum in literis omnibus atque eruditione eſt ea Philoſophia, quae omnibus animi morbis remedium adfert.

184.

184. Magna cura adhibetur curando corpori: maior adhibenda est animo, quo huius morbi et occultiores, et grauiores, et periculosiores sunt.

185. Hi non iniuria tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiae animi humani nuncupantur. Maximam hi adferunt calamitatem, et indicibiles dolores, si regnent, si agitentur: incredendam tranquillitatem, et beatitudinem, si sedentur et cohibeatur.

186. *Huc tendunt*, quaecunque a maximis ingeniis de vita moribusque acutissime sunt excogitata atque perscripta.

187. Hoc est *ingens praemium* litterati laboris, cuius verissimus fructus est, vt non in admirationem aut ostentationem vanam sit nobis magna illa rerum suppellex collecta: sed vt transeat in vsum vitae, et primum omnium prosit possidenti: nec in eius mente sit tanquam in pixidicula, vnde petitur res alios iuuatura, ipsi vasculo inutilis.

188. Nec aliud conatur religio, quam vt serenitas humanos animos exhilaret: et

tranquillitate animorum, compositisque affectionibus simus Deo et angelis quam simillimi.

189. Remedia his morbis vel ex rebus ac nobis ipsis, vel ex Deo eiusque lege petuntur.

190. Natura rerum est, vt incerta et fluxa, et momentanea, et vicissitudinaria, et vilia, sint omnia, praeter animum, qui est vnusquisque; aut certe potissima eius pars.

Reliqua ab aliis ad alios transferuntur, ne quis extra animum quicquam possit suum dicere.

191. Quae quis habet, non donata esse putet, sed accommodata.

192. Quo circa ingentis dementiae est, graue aliquod crimen, et magna luendum poena, ob res minutas suscipere.

193. Nec se quisquam efferat, quod aliquid de externis aut corporeis contigerit: cum id omne breue futurum sit ac incertum, nec proprium, sed alienum.

Quod vt concessum est, sic etiam reposcetur, ad summum in morte, saepe in vita ipsa.

194.

194. Nec dolendum, ſi quod accommodatum ac velut depoſitum eſt, repetatur: quin potius agendae gratiae, quod tantiſper vti licuit.

195. Intolerandae ingratitudinis eſt, ſi ſis aliquando affectus beneficio, iniuriam te credas accipere, quod id non ſit perpetuum.

196. Nec quid habueris ſpectes, aut quamdiu: ſed quid, aut quamdiu non habueris.

197. Nec deſpondendus animus aut contrahendus reflante fortuna: quippe aduerſis matutinis, interdum ſuccedunt proſpera veſpertina.

198. Quum ſit anceps vita, ſepta tot vndique periculis, quid habemus, cur in tanta infirmitate ferociamus?

199. Cumque nihil ſit aliud haec vita, quam peregrinatio, qua in alteram ſempiternam tendimus, pauciſſimisque rebus ad hoc iter conficiendum egeamus: quid eſt, quamobrem, his quae huc atque illuc volui et iactari cernimus, ſollicitemur, aut omnino moueamur?

200. Cupiditati quare ſeruiendum eſt? cum ſint futura incertiſſima, et praeſentia paucis contenta?

201. Liber ille, qui cupit ſolum, quae ſunt in ipſius manu: ſeruus, qui contra.

202. Iam fortunae muneribus expleri, quid aliud eſt, quam peditem multis ſarcinis impediri ac obrui?

203. Nemo eſt tam ſtupide amens, qui non ſe illi ciuitati, ad quam tendit, et vbi morari deſtinat, potius, quam itineri, adornet, componatque.

204. Vita haec noſtra, cum ſit natura ſua fugax et arcta, maxima eius pars fere tota perturbationibus perit. Nam non viuimus quamdiu affectibus concutimur, et inprimis mortis metu.

205. Quae cum ex infinitis cauſis immineat et appropinquet, expauenda non eſt ex vna et altera: cum neceſſario peruentura, fugienda non eſt per ſcelus, aut moerendum quod accedat.

206. Cum ſit vita innumeris taediis ac miſeriis referta, cur eſt tam arcte retinenda:

cum

cum ad alteram aeternam proficiſcamur, ita nos comparemus, vt recta ad illam euolemus, pleniſſimam bonorum omnium.

207. Ergo premimur ſaepius noſtris erroribus, quam rebus ipſis: cum mala magna aut bona cenſemus, quae non ſunt.

208. Natura et conditio, et vera rerum pretia illa ſunt, quae initio poſui, quo appareret, nihil praeter virtutem pulchrum aut magnum eſſe, aut etiam noſtrum.

209. Quod niſi perſuaſum habemus, aliena, tanquam noſtra, apprehendimus: et ſi detrahantur, lamentamur et afflictamus nos ipſos.

210. Et noſtra tanquam aliena negligimus et auerſamur profutura, vt inprimis noxia: et nocitura amplectimur pro vtilibus.

211. Aliena mala nobis videntur leuiſſima, noſtra, illis non maiora, intolerabilia: et ſemper queruli nec aliena deſideria ferimus, nec noſtra.

212. Nec iam nobis placemus ipſi, nec hic mundus cum ſua lege nobis ſatisfacit,

immutatas vellemus rerum naturas: tanta eſt ex deliciis impatientia.

213. Quae cruces poſſunt cum his comparari? nec ſunt alia apud vita functos tormenta.

214. Cernere eſt vultus eorum, qui his affectibus tenentur, quam varii ſunt, quam anxii, anheli, truces, horridi: ad eundem modum et animi ſunt affecti.

215. Ira perturbationum omnium atrociſſima, maxime hominem dedecet.

216. Naturam *hominis in truculentam* mutat feram.

217. Et cum quaeuis perturbatio mentis aciem et iudicium omne obſcuret; tum ira tenebras denſiſſimas offendit, vt nec verum, nec utile, nec decorum poſſit cernere.

218. Arrodit cor, et valetudinem affligit.

219. Id cogit facere, quod illico poenitentia conſequatur.

220. Iam in facie quam turpis mutatio? quae tempeſtas? oculorum ardor? dentium ſtridor? deſpumatio et totius oris pallor? foeda in lingua titubatio et clamor?

221.

221. Vt ille qui iratum ſe ad ſpeculum vidit, non ſine cauſa dicatur ſe non agnouiſſe.

222. Ob hanc toruitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorum, adimitur viro omnis autoritas, omnis beneuolentia; diffugiunt amici, recedunt obuii, ſolitudo vndique, omnes oderunt, omnes deteſtantur.

223. Quo fit, vt maximi viri nihil vel cauerint magis, vel texerint, quam iram, et irati opera: adeo vt naturae etiam ſuae repugnarint ac vim attulerint.

224. Quid enim ridiculum magis, quam tantulum, tam imbecillum animalculum, ſic ferocire ac furere.

225. Et tantas tragoedias tam atroces, de viliſſimis rebus excitare, vt de corporeis, de fortuitis: etiam, ſi Diis placet, de vno verbulo?

226. Iram facile domabis, ſi illud animo perceptum et fixum tenueris:

227. Iniuriam non fieri, niſi laedatur animus, cui a nemine noceri poteſt, niſi a poſſidente, introducto in eum vitio.

228. Haec ad hominem, ex homine: nunc altius nempe ex Deo.

De Religione.

229. Nihil potuit hominum generi dari maius aut praestabilius, quam Religio, quae est cognitio et amor principis et parentis vniuersitatis mundi huius.

230. In nullos homines aeque beneficus est Deus ac in illos, quos docet, quis sit verus sui cultus.

231. Per Religionem Deus cognoscitur: cognitus fieri nequit aliter, quin ametur.

232. Vnus Deus est princeps, et autor, et dominus vniuersorum, qui potest, qui scit omnia.

233. Mundus hic est velut domus quaedam eius, vel potius templum: ipse ex nihilo in hanc faciem atque ornatum protulit: vnde nomen accepit apud graecos, ornati.

234. Idem regit atque administrat, non minore conseruationis miraculo, quam creationis.

235. Et quemadmodum in domo prudentissimi patris familias nihil iniussu eius agitur: sic in omni mundo nihil iniussu Dei geritur; omnia potentis et scientis.

236. Illi scito spiritus omnes, homines, animantia, stirpes, lapides, coelos et elementa, cuncta denique curae esse et parere;

237. Nihil fieri, nihil moueri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli vllam, aut floccum volitare, extra illius praescripta et iussa;

238. Hanc esse vniuersi legem, non alium esse in rebus casum, non fortunam aut fortem;

239. Omnia ab eo fieri cum summa aequitate et sapientia, tametsi viis nobis ignoratis;

240. Quaecunque cuiuis contingunt, ad eius referri commoda, si sit bonus.

241. Ergo quaecunque in hoc mundo accidunt, tanquam ab autore Deo profecta, aequis animis accipienda atque approbanda

sunt

ſunt, ne affectu noſtro, et tanquam iudicio conſilium damnare videamur, et improbare voluntatem iuſtiſſimi illius et ſapientiſſimi rectoris omnium Dei, quia non aſſequimur.

242. Ei nos obſequi ac ſubditos praebere, laudare atque probare cuncta quae facit, fas piumque eſt.

243. Nos pueri et meliorum rerum inſcii, quae damnoſiſſima ſunt, deflemus non dari, tanquam vtiliſſima: quae vtiliſſima, horremus, tanquam aduerſiſſima.

244. Vt nihil ſit nobis ſaepe numero peſtilentius, quam fieri votorum noſtrorum compotes.

245. Cumque in tantis tenebris ignorationis verſemur, ſic Deo viſum eſt, vt nobis ſola ſit praeſtanda culpa, caetera omnia illius curae remittantur.

246. Nobis, velimus nolimus, exequendum eſt, quod de nobis ſtatuit ac iubet rector huius tanti operis.

Quorſum igitur ſpectat, male cum lacrymis detractantes et reluctantes trahi, quam hilariter et vltro duci?

247.

247. Certe amicus omnis Dei, legibus et voluntati amici obtemperabit.

248. Nullum excogitari potest malum pestilentius aut exitiabilius, quam per peccatum a Deo separari; a perenni bonorum omnium fonte, ad perniciosissimam conuerti miseriam, et a dulcissima vita in acerbissimam mortem.

249. Quicquid graue, prudens, sapiens purum, sanctum, religiosum; quicquid cum admiratione, exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur; quicquid ex illis commendatur, edisciturr, in coelum tollitur: id totum purius, rectius, apertius inuenitur in religione, qua nos a teneris imbuimur.

250. Hanc nosse, perfecta est sapientia: iuxta hanc viuere, perfecta virtus. Sed nemo vere nouit, qui non sic viuat.

251. Si quis, quae a religione praecipiuntur, expendat, comperiet omnia ad nostras vtilitates referri.

252. Vt nihil est Domino gratius, quam fidi sibi, ita nec Deo; nec quisquam bene de illo cogitat, cui timide se ipsum tradit.

253. Verus Dei cultus est, animum morbis et prauis affectibus perpurgare, et in illius quam proxime possumus transformari simulacrum; vt puri et sancti simus, sicut et ipse est; neminem oderimus, omnibus prodesse studeamus.

254. Quo magis te a corporalibus ad spiritualia tuleris, hoc vitam diuinorem viues.

255. Ita fiet, vt Deus cognatam et similem sibi naturam agnoscat, eaque delectetur: ac velut in vero et germano templo habitet, multo sibi acceptiore, quam ista sunt lapidum et metallorum.

256. In occultissimis recessibus et procul ab omnium oculis, atque adeo in corde ipso, atque in animo tuo scito te habere Deum arbitrum, testem, iudicem omnium etiam cogitationum tuarum: vt illius praesentiam reueritus nihil non modo facias, sed nec in animum admittas, nefarium aut turpe.

257. Charitas erga Deum haec esse debet, vt illum caeteris rebus vniuersis anteponas, honoremque et gloriam illius chariorem habeas cunctis vitae huius honoribus et commodis.

258.

258. Et quemadmodum amicus, cum amici memoria occurrit, beneuola quadam afficitur et pia laetitia: sic curare te decet, vt diuina omnia amiciſſima tibi ſint, et proinde gratiſſima, verſerisque in illis multo libentiſſime.

259. Quoties nominare audis Deum, maius quiddam et admirabilius occurrat, quam quod poſſit humana mens capere.

260. Quae de illo dicuntur, audi, non quomodo humana, ſed cum magna animi admiratione.

261. De Deo ne quid temere cenſeas, aut de illius factis pronuncies aliter, quam venerabundus et timide.

262. Impium in res ſacras iocari, aut eas ad luſus, ineptias, aniles fabulas, ſcommata conuertere: ceu quis medicinae ad ſalutem paratae coenum aſpergat.

263. Omnia illic decet eſſe admiranda: et cum ingenti admiratione in animo recipienda.

264. Sacris interſis attente ac pie, non ignarus, quaecunque ibi ſeu vides, ſeu audis,

eſſe

esse purissima et sacro sancta, spectareque ad immensam illam Dei maiestatem: quam adorare facile est, comprehendere impossibile.

265. Ita vt in diuina illa sapientia altiora semper existimes latere, quam quo possit vis vlla humani ingenii pertingere.

266. Quum titulum aliquem aut epitheton Dei audis, extolle te in eius contemplationem, et ora, vt talem se praebeat erga te; velut cum clementem, mitem placidum: vt talem illum experiare; cum omnipotentem, vt id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium, ex nihilo aliquid.

267. Cum Dominum vocas, fac illi seruias: cum patrem, fac ames, et te dignum praestes tanto patre filium.

268. Nulla res est in toto vniuerso, cuius si vel originem, vel naturam, viresque intueaeris, non suppeditet, quod auctorem omnium Deum admireris et adores.

269. Nihil exordire, non inuocato prius numine.

Deus enim in cuius manu sunt progressus et exitus, optatos eos tribuit iis actibus, quos ab ipso auspicamur. 270.

270. Quicquid aggreſſurus es, finem ſpectato: et vbi tu rectum conſilium praeſteris, de euentu ne ſis ſolicitus.

271. Illi fide, in cuius poteſtate ſunt rerum euentus.

272. Quando quidem religio omnis ſita eſt in intimis pectoris, preces da operam, vt intelligas: et caue, ne ore tantum permurmures, ſed cum oras, totus et animo et mente, et cogitatione, et vultu in hoc ſis, vt omnia ſecum conſentiant, et excellentiſſimae reſpondeant actioni.

273. Si in citharaedo turpe eſt, aliud ipſum ore, aliud fides eius ſonare, multo eſt turpius, cum Deo pſallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

274. Vota noſtra ſobria ſint, et digna quae a Deo petantur, et quae Deus det.

275. Sumpturus cibum, recordare omnipotentiae Dei, qui cuncta ex nihilo condidit; ſapientiae ac benignitatis, qui ea ſuſtinet; manſuetudinis et clementiae, qui etiam inimicos ſuos paſcit.

276. Expende, quantum illud ſit, tot vitis vniuerſitatis mundi huius, tam variam quotidie alimoniam ſufficere, conſeruare omnia, et vindicare ab interitu, quo nutu ſuo tendunt.

277. Nullam neque hominum, neque Angelorum ſapientiam non modo hoc non poſſe praeſtare, ſed nec intelligere.

278. Itaque cum ſcias te de illius bonis viuere, cogita quam execrandae ſit ingratitudinis, quam perditae temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cuius beneficio et voluntate conſiſtis, non amplius, ſi nolit, futurus!

279. Ad menſam ſint caſta omnia, pura, cordata, ſancta: *qualis eſt ille, inter cuius mu*nera tunc verſaris.

280. Omnis detrectatio, virulentia, atrocitas, crudelitas a menſa arceatur, in qua tu ſentis incredibilem Dei erga te ſuauitatem et clementiam.

281. Quo intolerabilius eſt, eum te locum aſperitate aut odio in fratrem contaminare, vbi tu benignam et largam in te lenitatem percipis.

282. Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob cauſam menſae ſacra nominabant laeta et feſta, ad quam triſte aliquid aut atrox dici, fieriue nefas erat.

283. Cumque ſis omnipotenti, ſapientiſſimo, largiſſimo Deo curae, tu immodicam ſuſtentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffiſus.

Vnicam curam ſuſcipe, quomodo illi placeas ac ſatisfacias.

284. Stultiſſimum eſt, alimenti cauſſa prauum vlium facinus admittere et illum offendere, a quo ſola alimenta veniunt.

285. Tum vero, quum is in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum, illius filium, malignus ne eſto, reputans vos ex aequo eſſe Dei filios; nec Deum plus tibi debere, quam illi; tantum voluiſſe, te diſpenſatorem et adminiſtratorem eſſe, et a quo ſecundum Deum frater tuus peteret.

286. Nihil verius datur Deo, quam quod egenis datur.

287. Sumto cibo, conſidera cuius ſit ſa-

 pientiae,

pientiae, cuius potentiae, vitam iis rebus, quas edisti sustentare, et ruentem fulcire.

288. Itaque habeas Deo gratiam non quantum haberes illi, qui tibi pecunia sua cibarium emisset; sed quanta habenda est ei, qui te et cibum ipsum condidit, et cibum propter te, et cibo te sustinet, non vi illius, sed sua.

289. Cum petis quietem, et cum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, non in te solum, sed in totum genus hominum, atque adeo in mundum vniuersum.

290. Vbi iam lectum ingrederis, fac cogites, vnumquemque diem imaginem esse humanae vitae: cui succedit nox et somnus, simulacrum mortis expressissimum.

291. Itaque rogandus est Deus, vt in vita et in morte adsit semper propitius ac fauens illamque ipsam noctem praebeat nobis placidam atque tranquillam.

292. Cubile seruabis castum mundumque.

293. Inuocationem diuini numinis, sed inprimis sanctas cogitationes et firmum custo-

diendae

diendae pietatis propoſitum, cunctis cupiditatibus malis oppone.

294. De mane ſurgens commenda te Deo, cui et age gratias, quod illius ope ac praeſidio non es illa ipſa nocte oppreſſus calamitate aliqua.

295. Et quemadmodum de nocte dormiiſti, poſtea euigilaſti, ſic noſtra corpora recordare dormitura per mortem, animum autem ad aliam vitam, eamque ſempiternam, euigilaturum eſſe.

296. Deum ſupplex obteſtare, vt ſequentem diem velit ac faciat te in obſequio ſuo totum conſumere, ne quem laedas, neu a quo laedatur tua probitas; ſed ſeptus vndique ac munitus Dei praeſidio, ſoſpes et integer tot euadas retia, tot pedicas, quot per vias omnes et aditus humanos ſparſa atque tenſa offendimus.

297. Inter homines vero cum tanta ſit cognatio ſimilitudinis in corpore et toto animo, ſimusque omnes pari iure in mundum inuecti ad ſocietatem; ad hanc conſeruandam

lex eſt a natura proclamata: ne quis alteri fecerit, quod ſibi factum nolit!

298. Quam maxime autem eniti debemus, vt ſimus coeleſtis Patris ſimiles, qui ſuos quoque inimicos amat: quod declarat beneficiis illos proſequendo et quidem maximis; neminem odit.

299. Quid? quod hominum ingenium ita fert, vt beneuolos in ſe illos velint etiam, in quos ipſi ſunt malevoli.

De Charitate.

300. Sapientiſſimus vitae noſtrae autor, vnicum dedit ad viuendum documentum, vt amemus: gnarus, vitam noſtram, ſi amemus, fore feliciſſimam, nec aliis opus eſſe legibus.

301. Nihil felicius, quam amare: idcirco Deus et angeli feliciſſimi, qui amant omnia.

302. Infelicius nihil, quam odiſſe; quo affectu miſerrimi ſunt, qui ſe illi tradiderunt.

303. Verus amor omnia exaequat: vbi is viget, nemo alteri quaerit praeferri, nemo a dilecto

dilecto aliquid rapere; cum apud ſe cenſeat, quae apud illum.

304. Non litem mouet fratri charo, ac neque ſe vnquam iniuria putat ab illo affici: ideo nec vltionem meditatur.

305. Nemo inuidet ei, quem amat: nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis indolet.

Contra potius, gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus; idque non ficte aut ſimulate, ſed ex animo, quoniam amor omnia reddit communia, ſuaque eſſe exiſtimat, quae ſunt eius, quem amat.

306. Ne quis vero, tamquam rite ſubditus religioni et ſeruator legis, ſibi placeat, ſeque aliis anteponat!

307. Nam iudicium omne de homine homini ademit, coeco et ignaro receſſuum cordis; ad ſe transtulit ſcrutator pectoris humani.

308. Exteriora enim, quae ſola oculus hominis intuetur, infirma et incerta ſunt interiorum ſigna.

309. Non ergo vno congreſſu, quod nonnulli faciunt temerarii, non centum, non longiſſimo conuictu de ingenio, vitiis aut virtutibus cuiusquam ſententiam in totum feras.

310. Longiſſimae et obſcuriſſimae ſunt in humano corde latebrae: quae humana acies in tantam caliginem penetrabit?

311. Nec ſperes, fore Deo rem gratam, ſi tu oderis, quem ille amat.

312. Hanc vult ſibi referri gratiam, vt quemadmodum ipſe Dominus nos ſeruos nequam et peſſime meritos amauit, ita et nos conſeruos noſtros.

313. Hominem tibi a Deo commendatum, ſi dignus eſt, ama quia dignus eſt, quem ames: ſin indignus, ama, quia Deus dignus, cui parcas.

314 Non ieiunia, non erogatae opes omnes in pauperum vſum, hominem Deo gratioſum reddunt: ſola hoc praeſtat hominum charitas.

315. Nullum videbis hominem, quem non exiſtimes debere tibi eſſe fratris germani loco,

loco, vt eius rebus prosperis gaudeas, aduersis doleas, iuuesque quantum erit opis tuae.

316. Non ciuitas affectum hunc minuat, non cognatio, non professio, non conditio, non ingenium, non religio; vnus est omnium pater, Deus: qui te filium agnoscet, si tu filios eius fratres agnoueris.

317. Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

318. Pacem et concordiam, et amorem inuexit Deus;

319. Partes et factiones, et priuatas vtilitates cum alienis damnis, sicut et dissidia, rixas, contentiones, bella, ipse noster depranatus animus.

320. Concordia etiam pusilla coalescunt: discordia maxima dissipantur.

321. Qui pacem, qui concordiam studeant inter homines vel conciliare, vel conseruare sartam tectam, ii filii Dei vocabuntur: qui vero discordias serere, charitatem hominum inter se rescindere, ii hostes Dei.

322. Summum inimicitiarum, quo belluarum feritatem omnium homo ſuperat, bellum: ſcito rem eſſe non hominum, ſed quod verbum ipſum loquitur, belluarum.

323. Quam deteſtatur natura, quae hominem inermem genuit, ad manſuetudinem et communionem vitae: auerſatur Deus, qui penitus vult et imperat mutuam inter homines omnes charitatem.

324. Si quem arbitreris iniquo aut infenſo eſſe in te animo, nullum laborem et operam refugias, dum illum quacunque ratione lenias, et places tibi.

325. Neque in ea re vel precibus vel obſequiis, vel fortunis parcas, modo tibi gratiam omnium pares, celerem viam ad gratiam Dei.

326. Neminem irriſeris, cogitans quod vni alicui accidit, poſſe cuiuis accidere.

Age potius Deo gratias quod te extra eam ſortem poſuerit; et ora, tum tibi ne quid tale accidat, tum illi ſic afflicto ſaltem remedium aliquod, vel aequum animum: et ipſe ſubueni, ſi potes.

327. Crudelis animi est, alienis malis gaudere, et non misereri communem naturam.

328. Esto hominibus misericors et consequere a Deo misericordiam.

329. Fortuna et casus humani sunt omnibus communes: vnicuique minantur, vnicuique impendent.

330. Hoc amore, hominibus debito, nihil existimato posse te facere aptius et congruentius, quam si maximum bonum, hoc est, virtutem eis procuraueris: si studueris, vt omnes, si possis, aut quam plurimos reddas bonos.

331. Nihil magis amori dissonum, nihil damnosius aut deterius feceris, quam si quos malos reddideris vel suasibus vel exemplo, vel vllo alio incitamento.

332. Primum omnium et felicissimum est, si ames etiam odiosus: sed iucundissimum quoque est, et maxime tutum, amari.

333. Nullae certiores opes, quam certae amicitiae.

334. Nullum potentius ſatellitium, quam amici fideles.

335. Solem e mundo tollit, qui ex vita amicitiam.

336. Sed vera et ſolida et duratura amicitia, modo eſt inter bonos, inter quos facile amor coaleſcit.

337. Mali nec inter ſe amici ſunt, nec cum bonis.

338. Vt ameris certiſſima eſt et breuiſſima per amorem via: nihil enim ſic amorem elicit, vt amor.

339. Conciliatur quoque virtute, quae natura ſua amicabilis eſt, vt vel ignotiſſimos ad ſe amandum inuitet et trahat.

340. Tum et virtutis ſignis, manſuetudine, modeſtia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate: ſi nihil vel dixeris, vel feceris, quod arrogantiam, aut inſolentiam, aut petulantiam, aut obſcoenitatem reſpiciat: omnia ſint dulcia, mitia, lenia et pura.

341. Amicitiae venenum, ſi ames tamquam oſurus: et amicum ſic habeas, vt putes poſſe inimicum fieri.

342. Salutare illud: odi tanquam amaturus.

343. In amicitia nulla ſit inimicitiae cogitatio: quem habes amicum, ne credas futurum vnquam inimicum; alioqui infirma et fragilis erit amicitia.

344. In qua decet ineſſe fidem, conſtantiam, ſimplicitatem, vt de amico ne ipſe ſuſpiceris, nec ſuſpicantibus aut deferentibus aurem accommodes.

345. Vita non eſt vita ſuſpicacibus aut timidis, ſed aſſidua mors.

346. Ne in alienas vitas inquiras, neue curioſius ſcruteris, quid quisque agat; multae hinc ſuboriuntur ſimultates.

347. Et qui haec faciunt, ſuorum ſolent eſſe incurioſi, alienorum ſoliciti.

Stultum eſt, alios tam probe noſſe, ſeipſum ignorare.

348. Nec amare tantum homines debes, ſed etiam, quos aequum eſt, revereri, ac inter eos honeſte verſari, cum decore.

349. Ne putes nihil intereſſe, vbi, cum quibus, apud quos agas.

De convictv Hominvm.

350. Sit tibi inter homines modeſtia, et moderatio in vniuerſo corpore, et praecipue in oculis, ac ore toto, a quo abſit ſpecies omnis faſtidii et contemtus, abſit geſticulatio et laſciuia.

Serenitas illud et quietudo exornent, argumentum animi ad eum modum affecti.

351. Solum humanae faciei tegumentum decorum inprimis et fauorabile, modeſtia et verecundia; qua nudis nihil poteſt dici foedius aut deſtabilius.

352. Deſperanda illius ſalus, quem deſiit pudere malefacere.

353. Nec vultus ſit in atrocitatem, aut ſeueritatem nimiam compoſitus: vnde colligitur ſaeuus et impotens animus.

354. Riſus ne ſit frequens aut immoderatus, aut cum clamore et concuſſione corporis, ne in cachinnum exeat.

355. Nullam eſſe rem talem exiſtima, quae te tantopere queat exhilerare, vt ingentem attollere riſum cogeat.

356. Sed risus potest esse caussa aliqua, irrisus nulla.

357. Irridere bona nefas, mala crudelitas, media stultitia, probos impium, improbos saeuum, notos immanitas, ignotos dementia, denique hominem inhumanum.

358. Oculi sint quieti, manus ne ludibundae, ne gesticulatrices.

359. Nec assuesce quemquam laedere; ex talitro venitur ad pugnum, hinc ad fustem et ferrum.

360. Solos bonos vero ac germano honore prosequere, qui ex veneratione animi nascitur.

361. Magistratibus exteriorem honorem exhibe, illisque dicto audiens esto, etiamsi grauia et molesta imperent: hoc enim vult Deus propter publicam quietem.

362. Diuitibus cede, ne irritati et tibi et aliis bonis noceant.

363. Seni assurge, reueritus aetatem et rerum vsum, prudentiamque quae in illis esse solet.

Hono-

364. Honorationi alienae non modo paria facito, verum etiam praeuerte.

365. Salutantem non reſalutare, nec feliciter precanti feliciter reprecari, aut extremae barbariei eſt, aut incuriae ſocordiſſimae.

366. Quam exiguae res ſunt et nullius impendii, ſalutatio, affabilitas, comitas, honor? At, quam magnas amicitias conglutinant exhibitae, diſſoluunt praetermiſſae?

367. Quanta eſt bonarum rerum ignorantia, nolle multorum beneuolentiam tantulo redimere?

368. Generoſiſſime vt quisque eſt, et optime educatus, ita ſe maxime mitem omnibus et comem praebet: vt faſtidium et ferocia ex vilitate ſunt, aut hebetudine, aut imperitia.

369. Vnde in bonis artibus eruditio humanitas nuncupata eſt.

370. Ipſe ſi non ſalutare, aut reſalutare, negligentiae magis adſcribito, inconſiderantiae, quam contemtui.

371. Parum blande aut honorifice appellatus, adſcribito moribus, non malitiae vel odio.

Hiſce interpretationibus ac ſimilibus, ſanctam tibi ac iucundiſſimam parabis vitam, quippe omnes diliges, nec a quoquam te ofenſum arbitrabere.

Vetus dictum, vt verax ne ſuſpicax: hoc verbis nouum, ſententia priſcum, vt quietus, ne ſuſpicax.

372. Neminem contemnere videaris, non vultu, non verbo, non facto aliquo.

373. Si inferior es, quis ſuperior ferat ſe contemni abs te? ſin maior, irritas, & auertis minorem contemtu.

374. Intolerabilis eſt contemtus propterea quod nemo videtur ſibi tam vilis, vt contemtum mereatur.

375. Multi laborant, vt a contemtu ſe vidicent, ſed plures, vt de contemtu.

376. Nec quisquam tantus eſt, quem non aliquando fortuna indigere minimo cogat.

377. Et ſaepe quem homines contemtu dignum putant, ſi perſcrutarentur, veneratione digniſſimum compererent.

De Verbis.

378. Linguam dedit Deus hominibus, vt sit instrumentum societatis et communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.

379. Haec magnorum, et bonorum, et malorum est causa prout vtaris; fraeni sunt illi iniiciendi, et cohibenda, ne vel aliis noceat, vel sibi ipsi.

380. Nullum est peccati vt facilius instrumentum, ita nec crebrius.

381. Nemini conuitium feceris, neminem execreris, nemini noceto, non modo in re, sed nec fama atque existimatione.

382. In neminem petulantius aut procacius debaccheris, vel effusius ac immoderatius inuehare, etiam lacessitus et laesus: magis enim te et apud Deum et apud homines cordatos laedes, quam illum ipsum, cui maledicis.

383. Conuitium conuitio regerere, est lutum luto purgare.

384. Minitari, muliercularum est, nec probarum.

385. Nec sis tam tener, vt verbulis transverberere.

386. Nec facundiam exerceas caninam, nec diserti laudem affectes in alienam contumeliam, in quam infantem et mutum esse satius est.

387. Alios reprehendere ne sis solicitus: hoc cura, ne in te sit, quod alii possint merito taxare.

388. Verum reprehendens ne vtare acerbitate aut atrocitate vlla verborum: fac vt obiurgationis amaro aliquid admisceatur dulce, quod plagam leniat, siquam facis.

389. Modo ne fructus pereat reprehensionis et dum rem studes nimium mitigare, non in assentationem prolabaris.

390. Assentatio deforme vitium, turpe illi, qui dicit; pernicioſum ei, qui audit.

391. Nec putes rem vllam esse tantam, vt a recto et vero propter eam sustineas deflectere.

Non hoc a te opes, non vllae necessitudines, non preces, non minae, non mortis metus, et certum periculum extorqueant.

392. Sic tibi et auctoritatem parabis, et fidem, vt oracula putentur esse, quaecunque dicas; aliter despicieris, et indignissimus iudicaberis, qui vel audiare.

393. Sermone vtitor modesto, ciuili, comi: non aspero, non rusticano et imperito, sed nec accurato, aut affectato nimis, ne cum loquendum sit vt intelligamur, sermoni tuo interprete sit opus.

394. Nec contumeliosum usurpes sermonem, vt reprehensorium, aut rigidum: sed neque blandum, aut fractum, vt adulatorium.

395. Est quiddam mediocre, quod nec suam dignitatem abiicit, nec alienam tollit.

396. Lasciuia, et spurcities a sermone extirpanda, vt a cibis venenum.

397. Nec celeritatem in loquendo nimiam suscipias, nec vt cogitationem praeuertant verba: nec respondeas, antequam, qua dere agatur, plene intellexeris et quid ille, cui respondes, dixerit senseritque.

398. Quam turpe illud et periculosum, lingua quo vadis?

399.

399. De omni verbo otioſo, quod homines fuerint locuti, ſcito reddituros eos aliquando eſſe rationem.

400. Ne ſis in ſermone immodicus, ac ne multus quidem, neue audiri velis ſolus: eſt enim in loquendo viciſſitudo; etiamſi cum imperitiſſimis agas, aut viliſſimis: ſed nec adeo rarus, aut tardus, vt ipſe te aſcultare exiſtimeris, idque facere, quaſi ſingula tua verba ſingulae tibi roſae videantur.

401. Inter prudentes praeſtat audire, quam loqui: ſed eſt locus, vbi tacere tam eſt vitium, quam loqui, quando non oportet.

Nulla voluptas eſt tanta, quae comparari queat colloquio prudentis hominis ac diſerti.

402. Ne ſis nimius percontator: eſt enim moleſtum et odioſum. Noris et illud Horatii: Percontatorem fugito!

403. In diſſerendo ne ſis contentioſus, aut pertinax: ſi verum audias, hoc protinus ſilentio reuerere, illique tanquam diuinae rei aſſurgito.

404. Sin non audias; nihilominus concede hoc vel amico, vel modeſtiae tuae:

praesertim vbi nullum neque probi mores detrimentum accipiunt, neque pietas.

405. Superuacanea est contentio, si non adsit proficiendi spes.

406. Arrogantiam, aut iactantiam, aut superbiam, et fastidiosam auctoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem viris, et omnem laudem meritis.

407. Ne verbis, quod scis, ostentes, sed rebus te ostende scire.

408. Nec quicquid est iucundum tibi dicenti, idem credideris esse aliis audientibus.

409. Caue ne quid facias, quo securus non sis, nisi celetur.

Quod autem taceri vis, prior ipse taceas: sin detecturus es, vide etiam atque etiam cui.

Arcanum quid, aut caelandum, maxime amico, cum committis, caue ne iocum admisceas, ne ille iocum vt referat, occultum retegat.

410. Tibi vero arcanum creditum, accuratius et fidelius custodi, quam depositam pecuniam.

411. Nihil erit in humana vita tutum, si tollatur secretorum fides.

412. Si quid promiseris, praesta: etiamsi res sit ardua inprimis, et difficilis, saltem vt obligatam alteri tuam fidem soluas.

413. Si quid tibi sit promissum, ne nimis exigas: acrior semper in te iudex, quam in alios.

414. Existimare decet te, homines habere sensum, rationem, iudicium: ne speres te illis posse persuadere, malefacta esse benefacta aut contra; nec falli posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis: quae tandem produnt se, et fiunt tanto foediores ac inuisiores, quanto prius occultiores fuerant.

415. Infestis enim animis accipimus eos, a quibus sumus decepti.

416. Ideo consultius est, omnia esse aperta, nuda, simplicia.

417. Nam etsi aliquando veritas initio odiosa sit, deinceps tamen nihil est amabilius aut gratius.

418. Laborat aliquando veritas nunquam opprimitur.

419. Nec mandacii vtilitas ſolida eſt, ac diuturna: nec veritatis damnum diu nocet.

420. A mendacio, tanquam corruptela quadam, abhorreto quippe quod procul nos a Deo ſeparat.

421. Deinde, ſeu tarde, ſeu celeriter, mendacium deprehenditur, vertiturque mentienti in turpem ignominiam.

422. Quid deſpectius aut vilius mendace?

423. Si mendacem te norint, nemo credet tibi, etiamſi affirmes veriſſima.

424. Contra ſi veracem, maiorem habet fidem nutus tuus, quam aliorum ſanctiſſimum iusiurandum.

425. Si non vis loqui repugnantia, ſi vis ineſſe verbis tuis conſtantiam, nihil opus eſt memoria, aut arte alia, quam vt dicas ſemper quod credis verum eſſe.

426. Verum vero conſentiens, falſum nec vero, nec falſo.

427. Sed ſi vis in opinione tua verum ineſſe, ne facile, credas, niſi comperta et magnam veri faciem prae ſe ferentia.

428. Miſerum illum, qui id egit, vnde extricare ſe non poteſt, niſi per mendacium.

429. Iurare ne conſueſcas. Sapiens enim ait: vir multum iurans, replebitur iniquitate, et non recedet a domo eius plaga.

430. Magna eſt Dei reuerentia, non illum paſſim, aut facile teſtem adducere: neque hoc debet niſi ab inuito et coacto fieri.

431. Qui facile in feriis iurat, in iocis, iurabit: qui in iocis, et inmendacio.

432. Si qui tibi credituri ſunt, aeque iniurato credent, vt iurato: ſi non credituri, magis iureiurando auertentur.

QVOMODO HOMINIBVS VTENDVM.

433. Inter homines eſt aliquod faciendum diſcrimen. Sunt enim ex eis alii domeſtici, alii noti tantum, alii ignoti.

434. Domeſticos voco conſanguineos, affines, et quibus cum in eadem domo et familia degis.

435. Omnes ſunt diligendi; etiam in ignotos talem te oſtendes, vt ſentiant te in vniuerſum toti generi humano amicum eſſe, omnibusque bene cupere.

436. Non tamen te eundem praestabis omnibus, vt lineam albam in albo saxo: alios adhibebis consiliis, aliis parebis et obsequere, alios reuereberis ac coles, aliis gratiam referes, si quod ab eis tuleris beneficium et iis potissimum, quorum opera vsus es vtili tibi, aut diligenti, aut fideli.

437. In quo animus pro opere computandus est, nec in multo peiore loco videatur esse qui conatus est, qui voluit prodesse, quam qui profuit.

438. Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo et compensando solicitus, quam si pecunias mutuas.

439. Nec putes minus esse operam dedisse, duntaxat honestam, et a sincero profectam, quam pecuniam: quin hoc maius, quo cuique corpus, quam externa, charius debet esse.

Ne exspectes dum necessitates ad te suas familiaris deferat: tu illas odorare, et eis vltro subuenias.

Honestis precibus occurre, et antequam oreris, exorare.

440. Parentes non amabis ſolum, ſed ſecundum Deum vnice venerabere.

Illorum iuſſis tanquam diuinis imperiis obtemperabis.

441. Perſuaſus id, quod res habet, illos vicem tibi referre in terris Dei, nec te & charioꝛem cuiquam eſſe, et maiori curae.

442. His proximi ſunt praeceptores, tutores, denique quibus commendata eſt morum tuorum cura, queis nihil eſt in homine pretioſius, aut praeſtabilius.

443. Iſtos velut alteros parentes ama et reuerere, his modeſte, imo cum alacritate quadam pare, reputans quaecunque praecipiunt, non ad ſua illos referre commoda, ſed ad tua.

444. Quod cum ita ſit, peſſimam tu illis gratiam redderes, ſi vbi ipſi commodis tuis intentiſſimi ſunt, tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

445. Crede te illi eſſe charum, a quo amice reprehenderis.

446. Nec vnquam reprehenſionem obeſſe, et inimici: nam ſi vera obiicit, oſtendit,

quod

quod emendemus: sin falsa, quod vitemus: ita semper vel meliores reddit, vel cautiores.

447. Quos familiares tibi facturus es, explora prius, quibus sint moribus, et quemadmodum secum aliis amicis gesserint, ne te postea necessitudinis poeniteat.

448. Ne familiaris illi fias, cuius familiaritatem bonos vides auersari.

449. Eos etiam vita, qui non te amabunt, sed tua: quales sunt parasiti, et quorum consuetudine ac tanquam affrictu vel peior fies, vel labem aut periculum contrahes;

450. Illos quoque, qui amicis felicioribus inuident, tum qui iocorum studiosi nihil pensi habent, in vitam et maxime arcana amicorum ludere, ac dicta dicere, aut innata loquacitate reticenda cum primis effutiunt;

451. Sed illos potissimum, qui ob leuem rixulam grauissimas inimicitias cum charissimis suscipiunt, acriusque in eos vlciscuntur, quos aliquando amarunt, quam quos semper oderunt, barbarica quadam persuasione, minus ferendam esse iniuriam, quae fit ab amico, quam quae ab inimico;

In quo se ostendunt, nunquam amasse: alioqui non putarent se tam cito laesos.

452. Eiusmodi praestat inimicos, aut certe ignotos habere, quam amicos.

453. Esto in admittendis ad familiaritatem cunctantior, in retinendis semel admissis constantior.

454. Familiares elige, non placituros tantum, sed et profuturos: non eos, qui omnia loquentur, ad gratiam, sed qui ad commodum; nec qui suauiter assentabuntur, sed qui vere admonebunt.

455. Si consueueris assentatoribus delectari, nunquam verum audies.

456. Ex bestiis exitiabilis maxime, inter feras inuidia, inter mansuetas adulatio.

457. Quam amandae sapientia et virtus, tam execranda assentatio, quae impedit, ne illuc perueniamus, dum suadet iam perueniisse; tam diligenda recta admonitio, quae illuc prouehit, dum quantum superfit, et quemadmodum conficiendum sit, docet.

458. Si reprehendi fers aegre, reprehendenda ne feceris.

459. Miſerum illum, qui admonitorem, cum eget, non habet.

460. Malorum hominnm conſuetudinem non ſecus atque ictos peſte deuita: utrinque enim metuendum contagium;

461. Niſi talis ſis, qui confidas te poſſe illos meliores reddere.

462. Sed huic fiduciae non eſt nimis fidendum, praeſertim quoniam natura noſtra in malum fertur prona; ad virtutem autem accliuis eſt atque ardua ſemita.

463. Explora et ipſe, qui ſis, quo loco, qua conditione: nec putes, rem vllam eſſe tantam, ob quam tibi plus, quam ceteris, liceat.

464. Quo tibi plus concedente more licet, hoc minus retrahente moderatione liceat.

465. In minores praebe te comem, in maiores reuerentem, in pares facilem ac tractabilem.

466. Sic tamen vt vitio ſis ſemper durus, rigidus, inexorabilis.

467. A potentioribus contemni ne iniquo accipias: potiusque id crede fortunae vitio fieri, quam hominis.

468.

468. Si quid a minore proficiſcatur, quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam eſſe, ſed libertatem;

469. Te et nimis eſſe delicatum, cui leues titillationes grandes videantur eſſe plagae.

470. Nec oportet exiſtimes, te ſolum eſſe hominem, reliquos pecudes, quibus nec mutire liceat: homo es, viue aequo cum reliquis hominibus iure.

471. Imo vero ſi ſapientior es et melior, hoc indulge, hoc concede magis de iure tuo caeteris tanquam imperitioribus aut imbecillioribus: tibi vero minus velis ignoſci, cui tantum robur, ſapientia et virtus attulere.

472. Si virtute non excellis, cur poſtulas videri aliis potior: ſi excellis, cur affectibus moderandis non plus, quam vulgus, praeſtas?

473. Iniuriam accipere, quam facere, decipi quam decipere, ſatius et praeſtantius.

474. Memineris humanae imbecillitatis eſſe falli, errare: ne te grauiter aliorum delicta offendant, praeſertim aduerſarii.

475.

475. Ignoſcere generoſi pectoris: iram retinere, atrocis, ſaeui, degeneris, vilis; quod et natura in animantibus oſtendit.

476. Cumque nihil vel crebrius Deus faciat, vel libentius, quam ignoſcere, quis eſt tam demens, qui negare poſſit illud eſſe pulcherrimum atque excellentiſſimum, quo tam prope ad naturam illam accedimus ſummi et praepotentis Dei?

477. Eris in homines talis, qualem cupis Deum erga te.

478. Et eſt profecto aequum, vt eam tu des hominibus veniam, qua in iisdem delictis aut aliis non paulo leuioribus ipſe eges.

479. Hac lege remittitur nobis ingens debitum, ſi nos exiguum remittamus.

480. Quicquid unquam homo in hominem peccauit minutiſſima pars eſt eius, quod quiuis hominum ſingulis momentis in Deum peccat, nimirum tantum, quanto maior et excelſior eſt homine Deus.

481. Si cui es iratus, fac ne ſol occidat ſuper iram tuam.

482. Conceſſurus cubitum, omnes ex animo rixas, iras, offenſiones, cupiditates, ſolicitudines depone: vt compoſito et tranquillo animo placidiſſimae te quieti tradas.

483. Cui ſemel ignoueris, cura vt ille ſentiat bona fide id eſſe actum, vt nec ipſe iniuriarum memineris, et experiatur te amicum, ſi qua in re iuuare aut commodare illi potes.

484. Affectus iniuria, caue ne vltionem tuis manibus de quoquam ſumas; non eſt tibi ius in ſeruum alienum, imo in conſeruum tuum.

Domino tuo iniuriam facis, ſi non illi cognitionem relinquis de conſeruo tuo.

485. Atqui Deus eſt omnium dominus, vniuerſi ſumus eius ſerui: oculus domini ſingula intuetur; ipſe nouit et facientem iniuriam et patientem.

486. Idcirco ſic ipſe omnibus edicit: mihi vindicta et ego retribuam.

487. Nam cum in animo ſit iniuria, non in facto, ſolus Deus ſcit, qui fuerit animus, et quod ei debeatur ſupplicium.

488. Plerumque putamus eam esse iniuriam, quae non est: vt sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singulariter examinare, sed ad iudicandum transuersos vi sua rapiunt.

QVOMODO SE QVISQVE GERAT ERGA SE IPSVM.

489. Conuenit, te non charum modo esse tibi ipsi, sed etiam venerabilem praebere, vt pudeat te tui ipsius aliquid facturi vel inepte, vel imprudenter, vel impudenter, foede, flagitiose, scelerate, nefarie, impie.

490. Pluris facias iudicium conscientiae tuae, quam voces omnes ingentis multitudinis, quae imperita et stulta est; ignota temere vt probat, sic et damnat.

491. Conscientia est, quae turbata maximos affert animo cruciatus: tranquilla, maximam beatitudinem; cui nullae opes, nulla possunt regna comparari.

492. Fama nec profutura malo, nec laesura bonum.

493. Mortuus, quid plus referes de fama, quam pictura Apellis laudata? aut equus in Olympia victor?

Ne viuo quidem prodeſt, ſi eam ignorat: ſi nouit, nihil adfert aliud, niſi vt ſapiens contemnat, inſipiens ſibi magis placeat.

494. Conſcientia verum et ſolidum et duraturum reddit teſtimonium, plurimum in illo Dei iudicio valiturum, vitaeque huius magna eſt magiſtrae;

Et quemadmodum ſcite ille dixit, Murus aheneus, quo et tuti agimus inter innumera vitae pericula, et ſecuri, nec vllus eſt tantus terror, qui eum commoueat;

495. Turpe eſt aliis notum eſſe, ignotum ſibi.

496. Anne tibi ſufficit, te et tibi notum eſſe, et, quod maximum eſt, Deo?

497. Qui tamen nominis curam abiiciunt, vt audacius et ſecurius peccent, ii dupliciter ſunt mali, quod nec homines reuerentur, nec Deum.

498. Hoc eſt amare ſe, conari, laborare, precibus a Deo petere ac contendere, vt excellentiſſima noſtri pars donata atque exculta ſit veris germanisque ornamentis, nempe religione.

499. Non is amat ſe, qui opes, qui honores amat, quippe quae non pertinent ad mentem, quae potiſſima hominis pars eſt.

500. Nec amat ſe, qui ignoratione ſui ſe ipſum fallit, vel falli ſe ab illis patitur: gaudium eius vanum eſt, quum ea ſibi perſuadet ineſſe bona, quae nulla inſunt.

501. Hic non eſt in homine amor ſui, cum ipſe ſit animus: ſed amor corporis inconſultus, coecus, ferus, pernicioſus ſibi et aliis.

502. Quem non iniuria caput eſſe ac originem malorum omnium Socrates pronunciauit: quippe tollit charitatem mutuam, unde in genere humano mala omnia naſcuntur.

503. Nimirum qui ſe hoc modo amat, is nec alium amat, nec ab alio amatur.

504. Superbus mitibus discors, superbis multo et magis.

505. Laborem pro aeterno et caelesti praemio, quis nisi amens refugiat? cum nec caduca haec et fragilia citra laborem acquirantur.

506. Haec est lex eorum, quibus Pater est Adam, vt laborent.

507. Quanto praestat adniti, vt maxima merces opera nostra quaeratur, quam exigua, vilis, et euanida!

508. Quid? quod facilius et tutius et securius, ac proinde iucundius leuiusque est, bene agere; cum peccatum timoris et solicitudinis sit plenum.

509. Peccatum hominis mors; vt iugulare seipsum videatur, quisquis peccat: abducit enim se a Deo, vita nostra, et a quiete conscientiae suae, qua nihil est beatius.

510. Peccati sordes ablues lacrymis, poenitentia, et inuocatione diuinae clementiae, multum huic confisus.

511. Occasio omnis peccandi et caussa intentissima cura vitanda est. Sapiens ait: qui amat periculum, peribit in eo.

512. Sic vero agamus semper tanquam in acie armati: vigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non indormientes.

513. Et cum tanta sit vitae fugacitas in tanta incertitudine, vt ne crastinum quidem diem sibi possit quisquam polliceri, stultum et periculosissimum, si spes nostras in longum tendamus, differamusque nos adornare futuro itineri, quo singulis momentis vocamur, inscii, quando (velimus, nolimus) in illud pertrahemur

514. Quam ob rem paremus nobis thesaurum ad futuram vitam, cui aliquid quotidie accrescat, quo instructi et confisi, nunquam per segnitiem aut socordiam inopiniantes opprimamur, aut discedamus moesti, sed potius parati ac laeti.

515. Sine hoc quid est homo aliud, quam immortale pecus?

516. Vt vnus dies humanae vitae praeferendus est longissimae aetati corui, aut cerui:

cerui: ita dies vnus ex religione actus, hoc eſt, diuinae vitae, toti aeternitati ſine religione anteponendus.

517. Hic eſt curſus abſolutae ſapientiae, cuius primus gradus eſt noſſe ſe, poſtremus noſſe Deum.

518. Regi ſeculorum, Immortali et Inuiſibili, ſoli Deo, Honor et Gloria!

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

2 0262654

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden